This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

HARVARD LAW LIBRARY
3 2044 097 728 786

155

Bd. Oct. 1931

HARVARD LAW LIBRARY

Received June 28. 1927

Italy

PROPERTY HARVARD LAW

Can. 29

DE JURE PRACTICO

REGULARIUM

AUCTORE

R. P. D. JOSEPHO NERVEGNA

ANTISTITE URBANO

IN ROMANA CURIA ADVOCATO

ET

ACADEMIAE THEOLOGICAE DE URBE

INTER CENSORES EMERITOS

DECANO

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA GENTILI

—

1900

a S. E. Rma

Il Sig. Card. Alfonso Capecelatro

Arcivescovo di Capua

rispettoso omaggio dall'autore.

Roma 28 Aprile 1900

Palazzo della Cancelleria Apostolica

PROŒMIUM

Per triginta quatuor annos, uti Officialis S. Congregationis super Disciplina, res Regularium, eorumque controversias sive simplices, sive complexas, diu noctuque pertractans, ad hanc certam persuasionem veni-aliud esse jus in abstracto consideratum, aliud speciebus obvenientibus adamussim adnexum. Illud sane in principia, et universalia constanter versatur, et criteria stabilia constituit: hoc temporibus et circumstantiis subjectum, mutatur in horas, et Jurisprudentiam efformat. Primum inter speculativas quaestiones locum habet; secundum vitam realem respicit, agendique modum significat.

Ex quo factum est, ut vir etiam doctrina praeditus, quandoque in decidendis controversiis anceps haereat; dum juris ab usu peritus eas facillime resolvit.

Hinc E.mi ac R.mi Praefecti, studio et ingenio excellentiores, saepe existimarunt, in variis adjunctis, utilia commentaria: *plerumque dignati sunt ea requirere; quae revera usque adhuc data fuere, sed ex intervallo, et incompleta.*

Ast nunc hortationibus Magni Viri, *cui gratum est mihi obtemperare, relinquens Doctoribus et Ca-*

nonistis disquisitiones speculativas, tractatus, ac scientiam peregrinam... nonnullas proferam breviter et simpliciter observationes etiam historicas, declarationesque temporum vicibus consentaneas, quae magis magisque praxim prope attingant, certamque agendi rationem, in re tam gravi, facillime patefaciant.

Cum vero basis et fundamentum praefatae thesis, praesertim reperiantur in Const. Clem. VIII - Clem. X - Innoc. XII - et f. r. Papae Pii IX - operae pretium mihi esse videtur, heic per extensum eas praemittere, (juxta TEXTUM EXISTENTEM *apud Secretariam ad* USUM *et* REGIMEN *S. Congregationis super Disciplina Regulari) ne lectoribus, rerum comparationem instituere volentibus, fontes deficiant, ex quibus optatas valeant aquas haurire.*

Sed ne hujus operis, quodcumque est, perspicuitas, et ordo laedatur, in TRES LIBROS *materia fas est dispertiri. Quorum in* primo *disputatio erit* DE NOVITIIS - *in* secundo DE PROFESSIS - *in* tertio *denique* DE SAECULARIZATIS, EJECTIS, *Fugitivis, Apostatis, et ad* aliam Religionem Transeuntibus. *Quisque* LIBER *in* Capita; *quodque Caput in Paragraphos, dividitur. Haec omnia vero Deo opitulante, atque B. M. V. Immaculata adjuvante.*

DE CONSTITUTIONIBUS APOSTOLICIS

1.

BULLA

NOVAE ERECTIONIS CONGREGATIONIS SUPER DISCIPLINA REGULARI

INNOCENTII PAPAE XII - DIE 4 AUGUSTI 1698

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Debitum Pastoralis Officii quo Ecclesiae Catholicae per universum Orbem diffusae regimini divina dispositione praesidemus, nos urget, atque impellit, ut paternam Christi fidelium, qui e fluctibus Saeculi in portum vitae Religiosae confugerunt, curam gerentes ad ea, quae per Regularem illorum observantiam, atque disciplinam opportunis rationibus sarta, tecta custodiri, et sicuti collapsa est, adiuvante Domino reparari valeat, favorabiliter intendamus concessae, que nobis a Domino potestatis partes studiosa Charitate desuper interponamus, sicuti ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis incrementum, ac spiritualem Populi Christiani aedificationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

P. 1. — Cum itaque nos alias Sanctum, et salutare, Ecclesiaeque Dei maxime fructuosum Regularis disciplinae instaurandae opus aggressi, Congregationem nonnullorum Venerabilium Fratruum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac dilectorum Filiorum Romanae Curiae Praelatorum super eadem disciplina Regulari specialiter deputaverimus, ipsaque Congregatio sic deputata plura hactenus, et quidem valde utilia, atque opportuna hac in re decreta ediderit; verum sic non sine gravi Animi nostri molestia accepimus, tametsi decretorum hujusmodi observantia in plerisque Religiosorum Virorum Monasteriis, seu Conventibus prospere, ac feliciter introducta fuerit, atque exinde inibi uberior in dies electi Sanctorum operum frumenti, benedicente Domino, exurgat non eisdem tamen alibi Caeleste idem semen afferat fructus: neque enim cessavit, nec adhuc cessat humani generis hostis in agro Domini superseminare zizaniam, quae Patris familias sementem suffocat; hinc est, quod nos Prophetici illius moniti memores « clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam », ut constans, enixaque voluntas nostra inceptum opus hujusmodi peculiari studio, summaque animi contentione prosequendi magis ac magis omnibus innotescat omnibusque transgressoribus vano, falsoque silentii nostri praetextu sese excusandi occasio penitus praecidatur.

P. 2. — Motu proprio ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostra, deque Apostolicae Potestatis plenitudine praedictam Congregationem Cardinalium, et Praelatorum super disciplina Regulari

a nobis, ut praefertur, deputatorum, ac in futurum tam a nobis, quam a Successoribus nostris Romanis Pontificibus deputandorum, tenore praesentium perpetuo approbamus et confirmamus, illique inviolabilis et irrefragabilis Apostolici muniminis vim, robur et praesidium adjungimus et nihilominus eamdem Congregationem Cardinalium, et Praelatorum super disciplina Regulari de novo, quatenus opus sit etiam perpetuo erigimus, et instituimus.

P. 3. — Ipsius autem Congregationis a nobis sic confirmatae seu de novo erectae facultates sint, et esse debeant intra fines Italiae et Insularum adjacentium *designandi ac deputandi pro Novitiatibus et Professoriis Conventus Monasteria Collegia ac domos quorumcumque Monachorum et Regularium Virorum cujusvis Ordinis Congregationis Societatis, et Instituti, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, etiam necessario exprimendi, necnon Novitiatus, et Professoria hujusmodi mutandi, transferendi, suspendendi, et supprimendi, prout utilitas, et necessitas postulaverit, ac exegerit, dandi Licentias Superioribus Regularibus ad quos pertinet, recipiendi in Novitiatibus sic deputatis Novitios ad habitum, et Professionem;* decreta tam Fel. Rec. Clementis Papae VIII. Predecessoris nostri super reformatione Regularium, ac praesertim ea, quae institutionem, et educationem Novitiorum concernunt, quam ab ipsa Congregatione super disciplina Regulari die 18 Julii 1695. jussu nostro *edita exequendi, quascumque inde emergentes controversias decidendi, potissimum vere exactae vitae communis observantiam*

promovendi, atque ad hunc effectum dumtaxat novas quorumcumque Conventuum, Monasteriorum, Collegiorum, et domorum hujusmodi fundatione diligenter examinandi, ne ulla sicilicet in posterum Religiosorum Virorum loca fundari, aut quovis modo institui contingat, nisi in quibus eadem vita communis juxta ultimum dictorum decretorum praescriptum perpetuo et exacte servari valeat; *omnia demum, et singula faciendi, ordinandi, decernendi, statuendi et exequendi, quae ad eamdem disciplinam Regularem efficaciter stabiliendam, sive restituendam quomodolibet pertinere possunt, et in praemissis omnibus etiam poenis et Censuris Ecclesiasticis procedendi.*

P. 4. — « Caeterum, quia sicut nonnullorum « Romanorum Pontificum praedecessorum etiam « nostrorum vestigiis inaherentes, Regularibus Ita- « liae Insularumque adiacentium utpote nobis pro- « pioribus, ac veluti ante oculos hujus S. Sedis « constitutis, quosque proinde caeteris Religiosae « vitae exemplo praelucere maxime decet, praeci- « puam quamdam Apostolici muneris nostri solli- « citudinem impendendam esse duximus, ita reli- « quos omnes Religiosos viros TOTO ORBE diffusos « nostraeque speciali curae subiectos minime ne- « gligendos putamus; tam enim iis qui longe, quam « illis, qui prope sunt debitores nos esse cognosci- « mus, earumdem tenore praesentium praecipimus, et « mandamus, ut *praecipuum* ac *peculiare dictae Con- « gregationis munus* et cura sit nobis, ac pro tempore « existenti Romano Pontifici ea jugiter *suggerere*,

« *et proponere, quae pro earumdem Regularium* UBI-
« CUMQUE *existentium cujuscumque Ordinis Congregationis, Societatis* atque *Instituti* sint favendae, seu reparandae disciplinae, felicibusque illorum in via mandatorum Domini progressibus, « et laudabilibus studiis juvandis necessaria, et opportuna, fore in Domino judicaverit ».

P. 5. — Quoniam vero de praesenti etiam alia Congregatio nonnullorum Venerabilium itidem Fratruum Nostrorum ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, ac dilectorum pariter filiorum Curiae praedictae Prelatorum super Statu Regularium nuncupata dudum a Fel. Me. Innocentio X. instituta, ac Clemente IX. Romanis Pontificibus, Praedecessoribus pariter nostris respective confirmata reperitur, eique plures ex praedictis facultatibus dictae Congregationi super disciplina Regulari per nos, sicut praemittitur, concessis attributa fuerunt, nec aucto hujusmodi Congregationum numero, rectum agendi ordinem confundi, atque inde Regulares Viros nimis distrahi, atque ipsos ex iis quae pro salubri prosperaque illorum directione provide, ac sapienter instituta fuerunt, perniciem potius, et incommodum, quod absit, experiri contingat, dictamque Congregationem super Statu Regularium motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine pluribus harum serie similiter perpetuo extinguimus, supprimimus, et abolemus, omnes vero, et singulas facultates ipsi Congregationi super Statu Regularium quomodocumque et quandocumque concessas, iis dumtaxat exceptis, quas memoratae Congregationi

super Disciplina Regulari, sicut praemittitur, impertiti fuimus, in Congregatione Venerabilium etiam Fratruum Nostrorum dictae S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium praeposita perpetuo itidem transferimus, et transportamus.

P. 6. Decernentes easdem praesentes Litteras, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis Status, gradus, Ordinis, Praeminentiae, et dignitatis existant, etiam Cardinalatus honore fulgentes, et alia specifica, et individua mentione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae, propter quas praesentes manarint, sufficienter adductae, verificatae et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque etiam quantumvis juridica, pia, et privilegiata causa, colore, praetextu, ex capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, ac formali, et substantiali, individuamque expressionem requirente defectu, notari impugnari, infingi, modificari, retractari, in controversiam revocari, seu ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris restitutionis, in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed

ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et protempore, spectabit, in omnibus, et per omnia, plenissime, et perpetuo suffragari, et ab eis respective, inviolabiliter, et inconcusse observari.

P. 7. — Sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et alios quoslibet quacumque praeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpetrandi facultate, et auctoritate judicari et definiri debere, ac irritum, et inane quidquid secus super iis a quonam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contingerit attentari.

P. 8. — Non obstantibus praemissis, ac nostra et Cancelleriae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis ac in universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus necnon quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, et Institutorum, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia, roboratis Statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis et Litteris Apostolicis, eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, et Institutis, illorumque Superioribus, et Personis, ac aliis quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis

etiam derogatoriarum derogatoriis, aliis efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis irritantibus, ac aliis decretis in genere, vel in specie, vel aliis quomodolibet in contrarium concessiis, confirmatis, et innovatis quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentis, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis, habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

P. 9. — Volumus autem, ut earumdem praesentium Litterarum tramsumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii Publici subscriptis et sigillo Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem ubique fides in judicio, et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exibitae vel extensae.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4 Augusti 1698 Pontificatus Nostri Anno VIII.

Io, F. Card. Albanus.

2.

DECRETA GENERALIA CLEM: PAPAE VIII.

Pro Reformatione Regularium cujuscumque Ordinis

Nullus omnino, praetextu cujuscumque privilegii, vel Superioritatis, etiam Generalatus, a servitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, et Praedicatoribus, superiores iis tantum diebus, quibus eos legere, aut praedicare contigerit, dispensare possint. Idem quoque praestare valeant cum aegrotis, et studiorum causa legitime impeditis. In eos vero, qui negligentes, aut inobedientes fuerint, salutari poenitentia Superiores animadvertant ad praescriptum Regulae, et Constitutionum, alimentis etiam, si opus fuerit, subtractione.

P. 1. — Lectio Sacrae Scripturae vel Casuum Conscientiae bis in hebdomada, preascriptis diebus in singulis Conventibus habeatur, ad quam Fratres omnes conveniant; eaque absoluta mutua collatione circa explicatam Doctrinam sese utiliter exerceant.

P. 2. — Quo Trid. Concilii Decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, praecipitur, ut nullus ex Fratribus, etiam si Superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosinas sive ex Concionibus, sive ex Lectionibus, aut pro Missis tam in propria Ecclesia, quam ubicumque celebrandis, aliove ipsorum justo labore, et causa, et quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, Legata aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere possit, sed ea omnia statim superiori tradantur, et conventui incorporentur, atque cum caeteris illius bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus, vestitus omnibus suppeditari possit. Neque Superioribus, quicumque illi sint ullo pacto liceat eisdem Fratribus, aut eorum alicui, bona stabilia etiam ad usumfructum, vel usum administrationem, aut commendam, etiam depositi, aut custodiae nomine concedere. Eorum vero, quae ad necessitatem concessa erunt, nullus quicquam possideat ut proprium, neque ut proprio utatur. Qui in praemissorum aliquo deliquerit poenas nedum a Concilio Tridentino praescriptas, sed alias quoque multo graviores, Superiorum arbitrio imponendas, incurrat. Nulla quorumcumque Superiorum dispensatio, nulla licentia quantum ad bona mobilia, vel immobilia Fratres excusare possit quo minus culpae et poenae ab ejusdem Concilii Decretis impositae, et ipso facto incurrendae obnoxii sint, etiamsi Superiores asseverent hujusmodi

dispensationes, aut licentias concedere posse, quibus in ea re fidem minime adhiberi volumus.

Fratrum vestitus, et supellex cellarum ex communi pecunia comparetur, et omnino uniformis sit Fratrum, et quorumque Superiorum, statuique paupertatis, nihil etiam quod sit necessarium, alicui denegetur. Quaecumque Fratrum vestes, sive Laneae sive Lineae, omnisque alia suppellex in aliquem, commodum Conventus Locum deferantur, custodiantur, ut inde superioris arbitrio, prout unicuique opus fuerit, subministrari opportune possint.

P. 4. — Omnes etiam Superiores, quicumque illi sint, eodem pane, eodem vino, eodem obsonio, sive eadem, ut ajunt, pitantia, in communi mensa prima vel secunda, nisi infirmitatis causa impediti fuerint, vescantur, neque singulare aliquid, quo privatim quisque in cibum utatur, ullo modo afferri possit, siquis in ea re peccaverit; nihil ea die alimenti percipiat, nisi panem et aquam.

P. 5. — Superiores omnes, etiam Generalis, qui redditus, aut praestationes peculiares ratione officiorum habent, eorum accepta, et expensa, in Libro distincto fideliter et diligenter adnotari curent, neque in alios usus, quam ratione officii sui necessarios, quisquam expendant. Cum vero contigerit, ipsos in aliquo Conventu commorari, eam pecuniae quantitatem in commune conferant, ex qua sibi, et iis, qui secum erunt, victus ad praescriptum Regulae et Constitutionum suppeditetur.

P. 6. — Nullus ex Superioribus Locorum, administrationem bonorum, et aliarum rerum dispensa-

tionem pecuniarum, et reddituum sui Conventus, etiam nomine Conventus per se ipsum habere, sive exercere possit, sed universum id onus tribus Fratribus ejusdem Conventus a Generali ita demandetur, ut unus rerum, et bonorum, reddituumque colligendorum, ac exigendorum curam babeat, alter tanquam Depositarius pecuniae, ac caetera ab illo collecta, et exacta fideliter asservet, alius, de pecuniis, et rebus a Depositario acceptis Priori, et Fratribus, ac Conventui universo de necessariis, mandante tamen ipso Priore, non secundum proprium affectum, sed juxta charitatis regulam veluti bonus dispensator provideat; officiorum hujusmodi confusione penitus interdicta. Caeterum hi tres tam impensi, quam accepti singulis mensibus suo Priori, adhibitis etiam duobus vel tribus Fratribus ejusdem Conventus probatioribus, rerumque usu peritis, rationem reddant; Deinde ipsimet rursus praesentibus Priore, et peritis praedictis, Generali cum advenerit, denique ipse Generalis in quolibet proximo Capitulo Generali, saltem coram tribus Iudicibus, ab ipso Capitulo ad hoc constitutis, illorum omnium, universamque suae administrationis tam pubblice quam private rationem reddere teneantur; cujus etiam exemplum authenticum ex actis Capituli describatur, ad hoc ut ad omne mandatum nostrum, vel sedis Apostolicae Romam transmitti possit.

P. 7. — In unoquoque Conventu Fratrum, is tantum deinceps constituatur et in posterum retineatur, numerus, qui ex redditibus illis propriis, vel ex communibus consuetis, vel etiam singulorum eleemosinis,

aliisve quibuscumque obventionibus in commune, ut praefertur, conferendis, commode possit sustentari: redditus vero, et supradicta omnia in communi Loco, ac tute diligenter asserventur.

P. 8. — Superioribus autem, nec Concilii Tridentini, aut haec nostra decreta declarare, interpretari, aut relaxare ullo modo possit, omnino interdicimus, et prohibemus. Decernentes irritum etc. Si quis autem contra praesumpserit attentare, is eo ipso omni gradu, officioque privatus, et ad ea perpetuo inhabilis existat.

P. 9. — Nullus, nisi actu legat, vel praedicet, aliquo sui gradus privilegio gaudeat.

P. 10. Si alicui ex necessaria causa, Generalis judicio probanda, socius ex eodem Ordine, qui illi ministret, concedendus erit, is nisi vigesimum quintum agat annum, et qui communi servitio sit deputatus, non concedatur, et si commode fieri potest, sit Laicus Conversus.

P. 11. —Ut omnis scandalorum, et vagationis occasio tollatur, Conventus Clausura perpetuo, ac diligenter servetur; ac propterea a Superiore Ianitor constituatur, qui diligentia, ac morum integritate maxime commendetur; is januae custodiendae semper assistat, eamque nemini Fratrum aperiat, nisi socium et exeundi Licentiam obtinuerit.

P. 12. — Nullus e Conventu egredi audeat, nisi ex causa, et cum socio, Licentiaque singulis vicibus impetrata, ac Benedictione accepta a Superiore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata, sociumque exituro adjungat, non petentis rogatu, sed

arbitrio suo, neque eumdem saepius. Licentiae vero generales exeundi nulli omnino concedantur. Contravenientes autem poena gravi etiam carceris, ad Superioris arbitrium plectantur, eamdem etiam Ianitor subeat, si sciens exeundi facultatem fecerit. Cum autem quis in Conventum revertitur, Superiorem iterum adibit benedictionem recepturus, qui a socio iteneris rationem, et quid rei actum sit, diligenter perquirat.

P. 13. — Nullos Fratres Romam venire Superiores permittant, nisi prius a Generali, vel Protectore dumtaxat Licentiam in scriptis impetraverint. Si quis autem sine hujusmodi facultate Romam venire praesumpserit voce activa, et passiva biennio privatus existat, subiturus etiam alias arbitratu Superiorum infligendas poenas. Quae item omnia adversus eos, qui supradictos admiserint et receperint, sine ulla exceptione Locum habeant.

P. 14. — Habeat Superior clavem ita fabrefactam, ut cum sibi videtur, cellas omnes reserare possit; et propterea nullus cellam, etiam noctu ita claudat, quin semper a Superiore possit aperire.

P. 15. — In medio dormitorii totam noctem Lampas colluceat.

P. 16. — Nullus etiam Superior cellas, sive in claustro, sive alibi separatas a communi Dormitorio habeat, sed unusquisque unica cella, eadem cum caeteris aliorum Fratrum conjuncta nudis omnino parietibus, ac Lecto et mensa humilibus, uniformique suppellectili, ut praefertur, quaemadmodum Religiosos decet, contentus sit. Possit tamen Gene-

ralis alicui ex Superioribus Conventuum, si eorum muneris, et officii necessitatem id exigere cognoverit, alteram etiam cellam concedere. Cellae sive aediculae, quae extra Dormitorium separatim sunt, ad officinas aut alias ad communem usum, et commoditatem Conventus redigantur. Singillatim suo quisque Lecto cubet, neque ullibi duo eodem Lecto dormire possint, qui omnes ad certam formam redigendi erunt. In privatis Cellis nulli Camini permittantur, sed omnes obstruantur statim, cardinibus etiam e parietibus convulsis, ut res illa non.ad tempus facta, sed perpetuo duratura videatur, cellis tamen Generalis, aut alterius Superioris, ac Praedicatoris exceptis.

P. 17. — Conventus Fenestrae omnes, quae in vias pubblicas, aut in vicinas Laicorum aedes prospicient, muro ita obstruantur, ut omnino is prospectus impediatur.

P. 18. — Valetudinarium in singulis Conventibus certo, ac salubriori Loco constituatur, quod pro Loci situ, ac Fratrum numero, quoad fieri poterit, commodissimum esse possit, in quo Fratres omnes, cum aegrotabunt, curentur, nec inde, nisi recuperata sanitate, abire permittantur. Qui vero infirmorum curae, praepositi sunt, omni sedulitate, ac charitate operam suam praestabunt, ac curabunt, ne quid aegrotis omnino desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

P. 19. — Ineatur ratio qua, sublatis Licentiis, ac facultatibus hactenus quibuscumque concessis, degentes extra Conventus claustra, ad ea quam pri-

mum revocentur; nec de caetero, nisi ex gravissima causa a Sede Apostolica probanda, hujusmodi facultates concedi possint.

P. 20. — Nulli in posterum ad habitum, aut Professionem admittantur, nisi in Conventibus per sedem Apostolicam in qualibet Provincia deputandis.

P. 21. — Curent Superiores, ut Constitutio interdicens Largitiones munerum, et praescribens Hospitalis formam, ab omnibus in quolibet Conventu inviolabiliter observetur.

P. 22. — Ut omnis officiorum ambitus occasio praecludatur, caveant omnes a directa vel indirecta vocum, seu Suffragiorum procuratione, tam pro seipsis, quam pro aliis, tum in Capitulis Locorum, tum in caeteris, praesertim Generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi: Quicumque secùs fecerint, praeter alias poenas, et censuras hactenus contra hujusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus, in poenam privationis officiorum quae obtinent, eo ipso incidant, et ad futura quaecumque pariter inhabiles habeantur; super quo cùm eis dispensari a nemine possit, nisi a nobis, vel successoribus nostris, et pro qualitate culparum gravius etiam plectantur. Porro supradictas omnes paenas ad complices, ac simpliciter scientes, et non revelantes extendimus.

P. 23. — In Superiorum, et Officialium omnium electionibus, forma praescripta a Sacro Concilio Tridentino, et Ordinis Constitutionibus inviolabiliter servetur, jurentque Electores secundum Veritatem cujusque Conscientiae, probiores, ac magis idoneos

se electuros; ac propterea, priusquam ad electionem deveniatur, in primis, et ante omnia praelegantur Constitutiones de qualitate, et requisitis eligendorum. Ad officia gradus, et Praelaturas illi praecipue eligantur qui possint, et consueverint regulas Ordinis, et Constitutiones, observare, praesertim quae pertinent ad servitium Chori, ac vestitum et victum communem.

P. 24. — Eligantur in Capitulo Generali, vel Provinciali aliquot graves, et periti ex Fratribus cujuslibet Provinciae saltem tres, qui admittendos ad praedicationem Verbi Dei, vel ad audiendas Confessiones etiam ipsorum Fratrum, ac Lectores publicos diligenter simul examinent, priusquam probentur, et ad hujusmodi ministeria admittantur. Horum etiam curae sit examinare, et probare tam quoad doctrinam, tam quoad mores, promovendos ad quoscumque Ordines: in quo servetur Decretum Congregationis Interpretum Sacri Concilii Tridentini hac de causa nuper editum, et promulgatum.

P. 25. — Illud porro Superiores omnes in Domino admonemus, ut memores sint rationis, quam in novissimo die reddituri sunt pro grege sibi commisso, ac propterea omni studio invigilent, ut quae in eorumdem Ordinis Regulis, et Constitutionibus de Oratione mentali, silentio, jeiuniis Capitulo Culparum, aliisque Spiritualibus exercitiis prudenter, ac pie sancita sunt, ea omnia, ac singula ad unguem observentur; intelligentque super his veluti fundamentis omnium Religionum aedificia constituenda, et amplianda esse quae ut faciliorem exi-

tum sortiantur, et fructus uberiores in animis Fratrum producant, valde opportunum erit, si in quolibet Conventu singulis hebdomadis habeatur sermo de religiosa disciplina, regularique observantia.

P. 26. — Quo vero omnia ordinate peragantur, appendatur Tabella in Loco conspicuo uniuscujusque Conventus, in qua distincte adnotetur quid singulis horis cujusque diei quilibet Frater praestare debeat, ut certo quoque signo praemonitus majori animi praeparatione suo muneri satisfacere possit. Quae ordinis Constitutiones his decretis non adversantur inviolate custodiendae erunt.

P. 27. — Quibus horum decretorum capitibus certa paena praescripta non est, arbitrio Generalis, vel alterius immediati Superioris infligatur.

P. 28. — Ut autem haec Decreta (donec alia quae ad pleniorem supradicti Ordinis reformationem facient, edantur) ab omnibus observari possint, districte praecipimus Generali, ac omnibus aliis quibuscumque Superioribus, ad quos hoc spectat, ut curent, ac officiant ea omnia inter alias eorumdem Ordinis Constitutiones perpetuo valituras redigi, interdicta omnino eorum singulis facultate illas declarandi, et adversus eas unquam dispensandi.

Alioquim sciant se in poenam Generalatus, et Officiorum privationis, ac inhabilitatis perpetuae ad alia quoque munera, ipso facto, et sine ulla exceptione respective incidisse.

P. 29. — Ne vero praetextu dilatae publicationis eorum observatio quomodo libet differri possit, aut impediri, volumus, ut post illorum publicationem in

Conventu S. Marcelli de Urbe factam, Generalem, aliosque Ordinis superiores, caeterosque quoscumque Fratres praesentes, statim, reliquos vero absentes citra Montes, unius mensis, ultra Montes trium mensium spatio, ita arctent, ac si eorum singulis personaliter intimata fuissent.

P. 30. — Insuper mandamus, quod Generalis in singulis Conventibus citra Montes unius mensis, ultra vero Montes trium mensium cursu decreta supradicta publicari faciat, sub paena privationis Generalatus aliisque arbitrio nostro imponendis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die vigesima quinta mensis Julii, millesimo quingentesimo nonagesimo nono.

P. 31. — Decretum illud, quo Fratribus Romam petere cum Generalis et Protectoris Licentia dumtaxat permissum est, Sanctitas Sua extendi ad Provincialem decrevit, ita ut Provincialis ipse, ex causa communi totius Provinciae dumtaxat, facultatem hujusmodi facere valeat. Declaravitque poenam privationis vocis activae et passivae contrafacientibus inflictam Sanctitati Suae reservatam esse, interdicta omnino eorum superioribus singulis etiam Generali ac Protectori facultate illa moderandi, ac relaxandi.

Datum Romae die 20 Martii 1601.

3.

DECRETA

Clementis Papae Decimi non recipiendi intra Claustra tam Clericos quam Laicos nisi attigerint annos, etc.

Etsi Decretis sacrae Congregationis super Statu Regularium de mandato Summorum Pontificum Innocentij Decimi, et Alexandri Septimi jam pridem editis pro Novitiis recipiendis statutum sit, ut omnes, qui, ad habitum probationis se recipi postulaverint, diligenter examinentur ac per vota secreta approbentur quotquot idonei reperti fuerint aetate, aliisque, requisitis ad praescriptum Apostolicarum Constitutionum et Statutorum Ordinis, nec quisquam censeatur habilis ad hujusmodi habitum suscipiendum, ut Clericus nisi annum aetatis suae decimum quintum, neque ut Conversus, nisi annum vigesimum expleverit; nihilominus in pluribus Religionibus Italiae et Insularum adjacentium aliquibus ab hinc annis introductum est, ut recipiantur Adolescentes Laici non quidem pro Conversis, ut annum probationis incipiant, et finito tempore Novitiatus admittantur ad Professionem, sed pro Tertiariis et Oblatis, seu Donatis, eique tradatur habitus, ut vocant, sine Ca-

putio illis dari consueto, ut sic inserviant alicui Religioso particulatim aut pluribus, vel omnibus communiter, et multoties pueri et adolescentuli recipiantur in Monasteriis, non ut Novitii, sed ut Hospites, seu postulantes se recipi pro Clericis ad habitum probationis, et parva veste induti plures menses, quinimo et annos sic destinantur intra Claustra, donec compleverint annum aetatis decimum quintum Clericis, ut supra praescriptum, ad annum Novitiatus inchoandum, idque eo praetextu, ut interea fiat experimentum de ipsorum indole, et aptitudine ad Religionem, et aliquando etiam in eadem veste iidem Pueri et Adolescentuli admittantur in Novitiatibus, et cum Novitiis degant ad hoc, ut eorum voces pueriles in Choro cum vocibus Professorum misceantur, dum Divina peraguntur Officia. Quoniam vero secundum Canonicas Sanctiones, et juris regulas, cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debeat admitti, et memorati abusus irrepserint in fraudem Legis, et elusionem Decretorum, ut supra editorum in Religionum dispendium, ac non sine multorum admiratione, et scandalo. Idcirco eadem Sacra Congregatio, ut in dies crescat in Ecclesia Dei Sacrarum Religionum splendor, et veneratio, ex speciali mandato SS.mi D.ni N.ri D. Clementis Divina Providentia Papae Decimi hoc praesenti Decreto, in virtute Sanctae Obedientiae praecipit omnibus et singulis Superioribus Generalibus, Provincialibus, et Localibus, quocumque nomine, ac titulo appellatis, quoruscumque Ordinum, ac Congregationum tam men-

dicantium quam non mendicantium, ut *de caetero neminem pro Tertiariis, vel Oblatis, seu Donatis aut Commissis, vel Servientibus, nec pro Hospitibus seu Postulantibus, vel Cantoribus,* aut alio quocumque nomine nuncupatis, ac quovis habitu indutis, vel induendis, sub quovis praetextu, vel Causa, aut quaesito colore *recipiant,* seu *admittant* **AD HABITANDUM** *intra claustra,* **NISI VIGESIMUM AETATIAS SUAE ANNUM EXPLEVERIT,** omnesque sic receptos, seu admissos *(iis tantum exceptis, qui completa aetate* **ANNORUM QUINDECIM PRO CLERICIS,** seu **CHORISTIS** *in habitu Novitiorum annum probationis agunt)* a Monasteriis, seu Domibus Regularibus omnino amoveant et ejiciant infra terminum duorum Mensium, inchoandum a die intimationis praesentis Decreti faciendae Provincialibus eorundem Ordinum et Congregationum in Romana Curia existentibus. *Quod si praedicti Superiores praesenti Decreto per omnia non paruerint, aut in aliqua ejus parte contravenerint* **POENAM PRIVATIONIS DIGNITATUM ET OFFICIORUM,** *quae tunc temporis obtinebunt,* **AC PERPETUAE INHABILITATIS** *ad illa, vel alia in posterum obtinenda,* **VOCISQUE ACTIVAE ET PASSIVAE** *ipso facto absque alia declaratione incurrant.* Non obstantibus, quoad omnia suprascripta, privilegiis, indultis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae die 16 Maii 1675.

4.

DECRETA

S CONGREGATIONIS A SS.MO D.NO N.RO INNOCENTIO PP. XII SUPER DISCIPLINA REGULARI SPECIALITER DEPUTATA EJUSDEM SS.MI D.NI N.RI AUCTORITATE EDITA

Sanctissimus in Christo Pater et D.ns N.er Innocentius Divina Providentia Papa XII. pro paterna charitate, qua Religiosos Ordines multis, magnisque in Ecclesia Dei meritis refulgentes, et peculiaris erga Sedem Apostolicam devotionis nomine commendatos complectitur, volens eorum conservationi, et propagationi consulere, simulque ex injuncto sibi Caelitus Pastoralis Officj debito providere, ut Regularis in iis disciplina ad Religiosorum salutem, et totius Christiani Populi aedificationem, utilitatemque sarta tecta custodiatur, ac vigeat, ut sicuti collapsa est, adjuvante Domino reparetur, constituit, et declaravit, se Licentiam recipiendi Novitios in singulis approbatis Ordinibus benigne concessurum, ut volentibus, et periculosis Saeculi fluctibus ad Religionis portum confugere facilis tutusque aditus aperiatur, dummodo tamen ea, quae

pro Regulari vita recte instituenda, tam a Sacrosancta Tridentina Sinodo, quam a Praedecessoribus suis Romanis Pontificibus, praecipue vero Fel: Recor. Clemente VIII, in decretis generalibus pro Regularium reformatione, nec non Innocentio X. et Alexandro VII. pro Novitiorum receptione, et Professorum educatione salubriter constituta sunt, quibus omnibus firmiter inhaeret Sanctitas Sua, eaque, quatenus opus sit, confirmat et renovat, salvis tamen in hac parte singulorum Ordinum Statutis, seu aliis Ordinationibus ab Apostolica Sede, in forma specifica post eadem decreta forsitan approbatis aut editis, exacte et inviolate serventur.

P. 2. — Quocirca Sacr. Congr. ab eodem SS.mo D.no N.ro super disciplina Regulari specialiter deputata, quae plura hactenus pro recta nonnullorum Monasteriorum gubernatione decreta edidit, aliaque in dies editura est, ut omnibus praefata ejusdem SS.mi Dom.ni N.ri mens pateat, ac plenius, et celerius innotescat, de mandato Sanctitatis Suae presentis decreti tenore denunciat omnium, et singulorum Ordinum Regularium (iis dumtaxat exceptis, qui in praefatis Clementis VIII decretis excepti reperiuntur) Superioribus tam Generalibus, quam Provincialibus, quocumque nomine nuncupentur, caeterisque, ad quos spectat, ut in unaquaque Provincia per Italiam, et Insulas adjacentes quam primum deputent aliquos Conventus, quos magis aptos censuerint, vel unum saltem, ibique auctoritate Apostolica statuent omnimodam observantiam Regulae Constitutionum uniuscujusque Ordinis, et decre-

torum exactae Communis ad formam eorum decretorum ab omnibus Religiosis qui in Conventibus, ubi recipiendi Novitii et Professi educandi sunt, morabuntur, omnino servandae. Postquam vero Regularem observantiam, et signanter quoad exactam vitam communem, cum effectu stabilitam fuisse, tam ex eorumdem Superiorum Generalium, seu Provincialium relatione, quam Praepositi, et Fratrum in praefatis Conventibus degentium jure jurando firmato Testimonio, nec non per secretas informationes, atque etiam, ubi opus fuerit, per Apostolicos Visitatores ad hoc specialiter deputandos, *eidem Sac: Cong: sufficienter constiterit, tunc Sanctitas Sua antedictam* LICENTIAM *quam hactenus distulit,* NOVITIOS IBI RECIPIENDI BENIGNE CONCEDET *et Locum ad Professos pietate et Literis instituendos usque ad Sacerdotium vel alias juxta Constitutiones et laudabiles cujusque Ordinis Consuetudines in iisdem Conventibus, non autem in aliis, nisi fuerint ejusdem observantiae, destinabit.*

P. 3. — Quae quidem omnia quo facilius, efficacius, et durabilius ad praxim deduci valeant, eadem Sacra Congregatio Sanctitatis Suae auctoritate committit, et in Virtute S. Obedientiae praecipit praefatis Superioribus, ad quos pertinet, ut in supradictis Conventibus non collocent nisi Religiosos graves, devotos, exemplares Regularis observantiae, et puritatis Regulae studiosos, orationi praesertim ac mortificationi, sine quibus non potest Religiosa vita consistere, addictos, quique consentiant exacte servare vitam communem, atque inde amoveant

eos omnes, qui tam Sanctae Ordinationi contradicere, seu verbis, aut factis quoquomodo sese opponere audeant.

P. 4. — Ut autem tam Laudabilis vitae institutum, et Regulari Professioni maxime proprium Religiosi alacrius arripiant, omnisque excusatio infirmioribus praeclaudatur, eadem Sacra Congregatio similiter praecipit Superioribus antedictis, ut memoratis Conventibus (implorata etiam, ubi opus fuerit, Apostolica Auctoritate) praefici omnino curent viros non solum disciplinae zelo, sed etiam charitate, et morum suavitate praeditos, compatientes, Fraternitatis amatores, misericordes, quorum regimini libenter alii se submittant.

P. 5. — Studeant vero praecipue, ut ea omnia quae tam ad victum, et vestitum, quam ad reliquas vitae necessitates pertinent, singulis Religiosis prompte subministrentur, ac praesertim aegritudinis tempore nihil alicui desit, quod ad sanitatem recuperandam pertineat.

P. 6. — Ac propterea Religios in iisdem Conventibus morari non patiantur ultra eum numerum, qui ex illorum reditibus, et consuetis communibus, vel etiam singulorum eleemosinis, aliisve quibuscumque obventionibus pariter in commune conferendis valeat commode substentari. Eos vero, qui semel praefatae observantiae et exactae vitae communi libenter, ut vere Religiosos viros decet, sese subjecerint, et in ea laudabiliter perseverent, nullatenus a memoratis Conventibus nolentes transferant, nisi forte ad alia Monasteria, ubi similis obser-

vantia vigeat, iisque pariter ab omnibus ad vitam necessariis possint commode provideri.

P. 7. — Quod si reditum, et eleemosinarum tenuitas hujusmodi exactae vitae communis, observantiae alicubi videatur obsistere, liceat eisdem Superioribus vel per annuam contributionem aliorum Conventuum huic necessitati prospicere, vel ab Apostolica Sede per suppressionem alicujus Conventus minus utilis perpetuam, vel ad tempus, vel alia denumeratione quae opportunior visa fuerit, remedium postulare.

P. 8. — Sciant vero Superiores praedicti, eos qui praefata omnia sedulo, ut par est adimplere curaverint, specialem a Sanctitate Sua et Sede Apostolica inituros gratiam, et protectionem, atque in iis praecipue, quae ad antedictam observantiam stabiliendam pertinent, favorem omnem, et auxilium experturos, qui vero e contra negligentes, aut (quod absit) contumaces reperti fuerint gravibus poenis pro Culpa, et etiam privationis officiorum, ac perpetuae inhabilitatis ad ea, aut alia in posterum obtinenda, puniendos fore. Praefatae autem observantiae nihilominus stabiliendae per alios Superiores, vel per Commissarios Apostolicos ubi opus fuerit, etiam extra Religionem assumendos a S. Sede efficaciter providendum, omnemque interim, ubi eadem observantia non vigebit, recipiendi Novitios Licentiam donegandam.

P. 9. — Porro ne Regularis disciplina, dum in Conventibus jam erectis statuitur, relaxetur in erigendis, et quod una ex parte construitur, simul

ex altera destruatur, Sacra Congregatio, Sanctitate Sua similiter approbante, statuit. atque decernit, nulla imposterum Monasteria, Collegia, domos, Conventus, aut alia Religiosorum Virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo institui debere, nisi sub expressa obligatione exactae vitae communis ab omnibus Religiosis ibi commorantibus perpetuo, et inviolate servandae, ac propterea nullas deinceps admittendas hujusmodi fundationes, nisi praeter alia ad id requisita, prius legitime constiterit adesse annuos redditus, vel certam eleemosinarum spem, quibus duodecim saltem Religiosi in exacta vita communi commode valeant sustentari.

P. 10. — Non obstantibus circa praemissa omnia, et singula et Ordinationibus Apostolicis, necnon quorumcumque Ordinum Statutis, Consuetudinibus, privilegiis, caeterisque contrariis quibuscumque.

P. 11. — Ad extremum eadem Sacra Congregatio Regulares omnes cujuscumque Ordinis, et Instituti sint, Sanctitatis Suae verbis serio admonet, et in Domino obtestatur, ut omni mora postposita, sicuti Filios Obedientiae decet, ad Regulae, quam amplexi sunt, praescriptam vitam instituant et componant, decretisque Apostolicis pro aeterna illorum salute editis sincere ac fideliter pareant, nec ab eorum observantia inanibus interpretationibus, et fallaciis, aut relaxationum pretextibus ad excusandas excusationes in peccatis adduci se sinant, sed Professioni suae memores, qua se totos Dei obsequio manciparunt, susceptum Christianae perfectionis

iter, arduum quidem sed Divinae Charitatis dulcedine aspersum, abjectis terrenarum rerum curis, alacriter prosequantur, nimis enim turpe esset, eos ad saecularia desideria, quibus semel, aspirante Domino, renunciarunt, animum revocare, et obligata Deo, qui non irridetur, primam fidem irritam facere. Meminerint se ad peculiarem Salvatoris Nostri sequelam vocatos, qui cum dives esset, propter nos egenus factus est, veterumque illorum fidelium gloriosos imitatores, ac veluti haeredes esse, quorum erat Cor unum et Anima una, nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat; ideoque in Regularis vitae ac precipue sanctae paupertatis, quae est parens quaedam generatioque Virtutum, proposito perseverent, omnemque sollecitudinem suam projicientes in eum, cuius oculi in pauperes respiciunt, qui non derelinquit sperantes in se, sed dives in misericordia centuplum, et vitam aeternam propter nomen suum relinquentibus omnia repromisit.

Datum Rome die 18 Julii 1695.

5.

Institutiones super Receptione, et Educatione Novitiorum in Monasteriis et Conventibus designatis vel designandis Clem. Papae VIII 19 Martii 1603

Cum ad Regularem Disciplinam in singulis Religiosorum Monasteriis propagandam Novitiorum Institutio maxime utilis sit ac necessaria, et nihil ad gravem illam, ac laudatissimam priscorum. P. P. vivendi rationem relaxandam, majorem vim habuisse compertum sit quam vel nimiam in recipiendis Novitiis facilitatem supra numerum, quem capere atque alere Monasteria ipsa possent, vel negligentiam in probando, et examinando eorum Spiritu, an vere esset ex Deo atque ex praecipuo desiderio illi inserviendi, vel denique incuriam in eis educandis, atque instituendis.

Idcirco ut hujusmodi incommodo deinceps occurratur, praecipitur omnibus, et singulis, ad quos spectat, ut in recipiendis Novitiis, et in eorum institutione, atque educatione, nec non in magistri, et aliorum Ministrorum electione, praeter alia quae in Sacris Canonibus, ac Decretis praesertim Concilii Triden-

tini, Pontificiis, et cujuscumque Ordinis aut Instituti Constitutionibus continentur, tam in alias designatis, quam nunc, et in posterum ad hoc designandis Monasteriis, et conventibus, haec quae sequuntur inviolate observari, et exequi perpetuo curent.

Primum quod attinet ad Novitiorum recipiendorum formam ultra diligentem perquisitionem, quae habenda de unuscujusque Natalibus, Corporis habitudine, moribus, vita ante acta et praecipue eorum, qui sextum decimum aetatis suae annum excedent, an criminosi, an aere alieno gravati, vel reddendae alicujus administrationis obnoxii sint, juxta formam Constitutionis fel. Rec. Sixti V, et moderationem subsequtam, illud etiam Superiores, ad quos spectabit, sedulo perquirant, ut quibus in Monasteriis, et Conventibus ex Apostolica facultate Novitiatus fuerint instituti, in iis ad Religionem nullus in posterum admittatur, qui et ex honestis Parentibus natus non sit, et conditiones Sacris Canonibus, Summorumque Pontificum Constitutionibus praescriptas non habeat, juxta Decretum super forma recipiendi Novitios die 9 Maii 1602. editum.

Quisque recipiendus in aliquo Ordine Regulari etiam Mendicantium in ea sit aetate constitutus, quam eius Ordinis, in quo recipietur, Regularia Instituta, et Ordinationes requirunt. Eam vero literarum scientiam calleat, aut illius addiscendae spem indubiam praeseferat, ut minores, et suis temporibus, majores Ordines juxta Decreta Sacri Concilii Tridentini suscipere valeat. Sed si quis annum vigesimum quintum excedens ad habitum Regularem

admitti postulaverit, et talis eruditionis expers inventus fuerit in Conversorum tantum, quibus literarum scientia non est necessaria, numerum referatur. Ipsi autem Conversi non recipiantur ante *vigesimum aetatis suae Annum,* et nisi saltem praecipua Doctrinae Christianae Capita noverint.

Demum Superiores diligenter exquirant quo Spiritu, qua mente, ac voluntate id regulare vitae genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectionis vitae, ut Deo liberius famulari possint, an potius levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato Animi motu ducantur, et an eorum Parentes ope et subsidio ipsorum indigentes destituantur.

Provideant quoque, ut omnes etiam Conversi recipiendi, priusquam ad habitum Regularem admittantur, ab iis quibus munus hoc incumbit, de Regula quam professuri sunt, tribus votis essentialibus, statuque Regulari, et aliis cuiusque Ordinis peculiaribus Institutis, et Constitutionibus diligenter instruantur; et quia quarundam Religionum moris est, nedum Conversos ad Professionem admittendos, verum et Oblatos uti vocant, recipere, circa ipsorum Oblatorum receptionem, unaquaque Religio suas peculiares Constitutiones, specialiaque Instituta observare teneatur.

Statim atque Novitii ad habitum recepti, et in Locum Novitiatus introducti fuerint, per generalem omnium peccatorum Confessionem totius anteactae vitae Conscientiam discutiant, atque expurgent.

Quod vero ad Loci qualitatem uniscujusque Novitiatus spectat, Locus hujusmodi propria Claus-

tra ab ea parte Conventus et Monasterii, in qua degunt Professi segregatus, atque distinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero Novitii, vel Dormitorium ita capax, ut pro singulis singuli Lectuli commodo sterni possent. In quo etiam Cellula, vel certus, ac determinatus Locus pro Magistro, eiusque socio reperiatur. In eo etiam praeter alias communes commoditates, aptus Locus adsit ad spirituales Collationes, seu Conferentias faciendas, ac Lectiones, instructionesque Magistri audiendas, et in quem hyemis tempore ad calefaciendum se igni communi recipiant. Oratorium insuper, seu Capella, si commode fieri poterit, ad Novitios in Spiritualibus praesertim Caeremoniis, et Ecclesiasticis functionibus exercendos, hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem bene conclusus, atque munitus adsit; sin minus, hortum caeteris Fratribus communem recreationis tempore ingrediantur. In ipsis vero Novitiis ibi commorantibus, curabit Magister cum Loci Superioris auctoritate (si opus fuerit), ne in eumdem quisquam alius ingrediatur, hujusmodi Locum Novitiatus nemini ejusdem, vel alterius Ordinis Regulari etiam Conventus et Monasterii, Officiali ullo unquam tempore sub quovis praetextu, aditus pateat, praeter quam Magistro ejusque Socio, ac etiam Monasterii aut Conventus Superiori, si quandocumque ingrediendum sibi necessario existimaverit, quo tamen casu aliquem semper ex Senioribus Conventus vel Monasterii Patribus socium assumat. Hujus Loci clausurae clavis apud

Magistrum semper asservetur, illique soli liceat, ex gravi tantum causa, ingressum illuc alicui permittere.

Si quis autem Novitiorum quempiam alloqui voluerit, Magistro praesente et non aliter alloquatur. Novitiorum Magistro socius si per Novitiorum instruendam multididunem necessarius fuerit, vita et moribus, quoad fieri potest, consimilis deputetur, qui in his, quae ad Novitiorum regimen spectant, dicto Magistro immediate subjectus existat, eliganturque tam Magister, quam Socius per Provinciale Capitulum, per triennium ad minus onus hujusmodi subituri, quod si aliquo casu extra tempus Capitulare nova Loca Novitiatus concedi contingat, tunc electionem Magistri Novitiorum, et socii hujusmodi, in his novis Locis per Generalem, seu ministrum, aut eorum Visitatores, seu Vicarios, Definitorum tamen, vel graviorum aliorum Patrum consensu fieri permittitur. Idemque servetur, si intra triennium alterum, vel utrumque, urgenti aliqua de causa, ex illis Locis amoveri, vel mori contingerit, in cujus, vel quorum Locum alii consimili subrogari debeant. Tam Novitiorum Magister, quam Socius ab iis omnibus officiis, oneribusque vacationem habeant, quae Novitiorum curam et regimen impedire valeant. Ipse Magister Sacerdotali Ordine sit initiatus, et in quinto saltem *supra trigesimum aetatis* suae annum constitutus, et per decennium a Professione emissa in Religione praestiterit. *Socius vero trigesimum Annum excedat;* sintque ambo doctrina, et quantum fieri poterit, per Superiorum diligentiam,

et vires, vitae etiam anteactae exemplo praestantes, Orationis praeteraa, et mortificationis operibus addicti, prudentia charitateque referti, non sine affabilitate, graves, zelum Dei cum mansuetudine praeseferentes, ab omni Cordis, ac Animi perturbatione, ira praesertim et indignatione, quae in se, et erga alios charitatem impedire consueverunt, quam longissime alieni, et tales demum qui in omnibus se ipsos bonorum operum exemplum praebeant, ut ii, qui eorum curae subsunt, illos non tam metuant quam revereantur, nec illis unquam detrahere quicquam possint.

Habeat etiam Magister plenam et absolutam potestatem circa Novitiorum institutionem, ac Novitiatus regimen, ita ut in illis nemini, Visitatoribus, ac superioribus Majoribus, vel etiam Localibus exceptis, quovis colore se ingerere liceat; Curam adhibeat diligentem, ut Novitii omnes in Regulari Disciplina sedulo exerceantur, agnoscantque praecipue Divinae qua digni facti sunt Vocationis praestantiam, et excellentiam, quae vera sit, atque perfecta Votorum Solemnium, et quam necessaria cujusque Ordinis Constitutionum observantia, modo in Oratione tum Vocali tum Mentali fructuose persistendi, illicitas passiones, et vitia ad quae natura per peccatum labefactata omni tempore prona est atque proclivis, per sensum custodiam, et mortificationem cohibendi austeritatem, jejunia, cilicia, disciplinas, Conscientiae puritatem crebram illius discussionem, Sacramentorum frequentiam, Confessionis praesertim, que bis saltem singulis mensibus fiat

per aperitionem quotidianam motuum internorum Cordis, ac tentationum manifestationem, per exercitium humilitatis circa viliora ministeria, per modestiam in omnibus actionibus diuturnumque silentium.

Quilibet Novitius bis quotidie Orationi Mentali, et Vocali incumbat, unusquisque secundum propriam capacitatem, et ordinem sibi a Magistro praescriptum, pluries in die propriam Conscientiam unusquisque examinare contendat. Ipsi autem Magistro soli Novitiorum Confessiones audiendi cura committatur. Liceat tamen Superiori etiam Locali, si ita expedire judicaverit, vel per se ipsum, vel per alium ab eo deputandum semel, aut bis in Anno eorumdem Novitiorum Confessiones audire; quotidie Missae Sacrificio intersint, et statutis horis in Choro nocturnis, diurnisque Divinis Officiis assistant.

Exercitationibus etiam Corporalibus vacent, legant, vel scribant res Spirituales, modestam Animi recreationem interponant, quae in solitario Loco, et commodo extra Novitiatum semel in hebdomada, vel in alterius saltem hebdomadibus Longior statuatur, fiatque semper Magistro praesente, vel socio qui multum invigilent, ne duo ab aliis commorentur distincti, atque eo tempore unusquisque in quam natura feratur propensionem scrutetur.

Non liceat eis, durante Novitiatus, et probationis tempore, una cum Professis, nisi in Choro, in Ecclesia tempore Officiorum, in Processionibus, aut in caenaculo causa refectionis commorari, nec permittatur eis Professos domo exeuntes comitari.

Pro communibus, et propriis cujusque necessitatibus, quae accidere possunt, unus ex Novitiis ipsis, aetate moribusque provectior deputetur, qui absente Socio, Magistro permittente omnia, prout opus fuerit, agat, cui etiam Januae custodia, et rerum Levioris momenti provisio intra Novitiatum committi poterit; Cum autem licet Clericorum bene instituendorum cura debeat esse praecipua, Conversorum tamen Religiosa instructio non sit praetermittenda, quin potius aequanimiter amplexanda, quandoquidem satis exploratum est istorum etiam, cum Regulam profiteantur, eamdem perfectam educationem, tum Religioni decorem, et ornamentum, tum aliis Cristifidelibus aedificationem, exemplum atque utilitatem afferre. Conversis ipsis a Clericorum Novitiatu separatus ad dormiendum Locus, quantum commode fieri poterit, assignari praecipitur, illi tamen, hac separatione non obstante, Magistro Novitiorum, seu Superioribus Monasteriorum, et Conventuum juxta cujusque Ordinis Statuto, et Constitutiones subditi esse, et obedientiam praestare debebunt, a quo, non tantum circa corporalia ossequia probandi, et exercendi, verum etiam pro eorum capacitate, et commoditate, de Spiritualibus praesertim, de modo mentaliter orandi diligenter instruendi erunt, quod ut commodius fiat, ad Capitula et Spirituales Conciones, quae per Magistros Novitiis fieri solent, accersiri debeant, et in Ecclesiis statutis horis conveniant, nisi tunc in suis officiis actualiter occupati fuerint. Tempore vero probationis elapso, ii tantum qui non solum religiosae

perfectionis capaces, sed ad laborem corporalem apti, novo ac diligenti examine reperti fuerint, *dummodo aetatis suae annum, quoad Clericos decimum sextum, quoad vero Laicos vigesimum admittantur, sed qui ad Conversorum habitum recepti fuerint, ad Clericorum Statum transire etiam durante tempore probationis non possint.* Superior cujuslibet Conventus, in quo Novitiatus fuerit constitutus particularem librum habeat, in quo uniuscujusque Novitii Professio registretur, illamque Novitius Professus propria manu, et duo testes, qui praesentes fuerint subscribant. Conversus vero literarum ignarus, professus in eorumdem testium qui se subscripserint, praesentia, propria manu signum Crucis apponat, asserveturque Liber et custodiatur in Archivio, ubi Scriptura ad Monasterium, seu Conventum pertinentes reponi consueverint. Quia vero in quibusdam Ordinibus Filiationis usus est receptus, declaratur, quod licet decretum sit ut Novitiis educandis certa Monasteria, aut Conventus designata quilibet Ordo habere debeat, Licitum tamen sit Superioribus Monasteriorum et Conventuum hujusmodi Ordinum in quibus filiationis usus est receptus, eos quos praenarratis qualitatibus suffultos repererint, in suorum Locorum filios juxta cujusque Ordinis Constitutiones adscribere, sicque adscriptos, cum juxta praesentes Institutiones et aliis servatis servandis, et Ordinem recepti fuerint, ad Loca Novitiatuum cum Testimonialibus Literis transmittere, ubi tanquam dictorum Conventuum, seu Monasteriorum Filii eorumdem nomine, et in-

stantia recipi, ac in Novitiatum probari. et deinde antequam ad eadem Monasteria seu Conventus Filiationis hujusmodi remittantur, in Professorio ad perfectionem ut praemissum est, exerceri debebunt. Porro ne Loca unius Monasterii, seu Conventus ab alio praeoccupentur Capituli Generalis, aut Provincialis partes erunt numerum praescribere pro omnibus, et eam similiter rationem circa alimentorum contributionem, si opus fuerit, inire. ac singulis Conventibus et Monasteriis praescribere quae magis expedire videbunt.

Ut autem Novitii jam in Professorum numerum, sicut praemittitur recepti, melius in bono Spiritu, Regularisque Disciplinae observantia Stabiliantur et confirmentur, mandatur, *ut statim post Professionem emissam, si in Conventibus, aut Monasteriis pro Novitiatibus assignatis, Locus aderit, secundi Novitiatus, sive Professorii ab ea quae Novitiorum est atque antiquorum Professorum habitatione distinctus et segregatus, ibi collocentur, si Monasterium, aut Conventus eos alere queat, sin minus in alium commodiorem Conventum aut Monasterium transferantur, in quo is Locus cum requisitis ad Novitiatum supranarratis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo construatur*, ab hoc tamen illae Religiones excipiantur, quae suarum Constitutionum, seu Institutorum vigore majoris temporis cursu novos Professos intra Novitiatum detinere consuescunt; quibus in hac parte non derogamus, illis tamen permittitur, ut praedictis earum Constitutionibus non obstantibus id ipsum facere possint, si id rationi, ac Re-

ligioni magis expedire judicaverint, quibus in Locis degant sub regulis et modo vivendi adhuc arctiori, quam servent antiquiores Professi, ita quod in negotiis Monasteriorum, aut Conventuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, neque alicujus exterioris obedientiae officium exercere debeant, ibique permaneant, quosque ad aetatem Sacris Ordinibus suscipiendis sufficientem devenerint, vel saltem per triennium post Professionem, quo etiam tempore poterunt, quinimo et debebunt Literarum studiis operam navare sub directione, ac regimine Superioris, qui eas qualitates habeat, quibus Novitiorum Magistrum praedictum esse oportere dictum est.

Declaratur tamen, quod praeter praemissa non censeatur concessa *Licentia recipiendi Novitios nisi in Locis pro Novitiatu designatis, aut in posterum designandis, et* PRO NUMERO *in eorum singulis praescripto vel praescribendo.*

Denique si illi, qui inter Religiosos gradu et Ordine Superiores sunt, et alii, ad quos spectat, in praedictis omnibus, vel eorum aliquo deliquerint, seu quovis modo contrafacerint, Officiorum omnium quae nunc obtinebunt, privationem, gravioresque pro modo admissae culpae poenas se subituros certo sciant. Dat: Romae die 19 Martii 1603.

6.

DECRETUM ROM: PONTIF: PII PAPAE IX.

De testimonialibus ordinariorum pro Recipiendis ad habitum

Romani Pontifices pro eorum pastorali cura, qua semper Regularium familiarum bono et splendori prospicere non omiserunt, illud Superioribus pro viribus commendarunt, ut antequam ad religiosum habitum postulantes reciperent, de illorum vita, moribus, ceterisque dotibus et qualitatibus sedulo inquirerent, ne indignis ad religiosas familias, non sine maximo illarum detrimento, ostium adaperirent. Verum quamlibet Moderatores Ordinum diligentiam adhibeant in informationibus exquirendis, in gravi tamen ut plurimun versantur periculo deceptionis, nisi ab locorum Antistitibus testimonium exquirant circa eorum qualitates, qui ad habitum religiosum admitti postulant: Ordinarii enim vi pastoralis officii oves suas prae ceteris agnoscere possunt, et saepe saepius ea manifestare impedimenta, quae alios latent. Haec animadvertens, Sanctissimus D. N. Pius PP. IX, audito voto S. R. E. Cardinalium hujus Sacrae Congregationis super statu

Regularium, attentisque postulationibus nonnullorum Episcoporum, praesenti decreto ubique locorum perpetuis futuris temporibus servando, haec, quae sequuntur, Apostolica auctoritate statuit, atque decernit.

I. In quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, Monasteriis, ac Domibus, quae ex peculiari privilegio etiam in corpore juris clauso, vel alio quovis titulo in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua, et expressa mentio fiat, nemo ad habitum admittatur absqe testimonialibus literis tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo Postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae ultra annum moratus fuerit.

II. Ordinarii in praefatis literis testimonialibus postquam diligenter exquisiverint etiam per secretas informationes de Postulantis qualitatibus, referre debeant de ejus natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicujus administrationis rationi obnoxius. Et sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere; nec ipsis umquam liberum esse hujusmodi testimoniales literas denegare; in eisdem tamen super praemissis singulis articulis ea tantum testari debere, quae

ipsi ex conscientia affirmare posse in Domino judicaverint.

III. Omnibus et singulis Superioribus regularibus; aliisque Religiosis, ad quos spectat, cujuscumque gradus sint, et instituti licet exempti, et privilegiati ac de necessitate exprimendi, etiam in virtute sanctae obedientiae hujus decreti observantia districte praecipitur: et qui contra hujus decreti tenorem aliquem ad habitum religiosum receperit, poenam privationis omnium officiorum, vocisque activae, et perpetuae inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda eo ipso incurrat, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari.

IV. Vi cujuscumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum, et constitutionum etiam in forma specifica, quam ab Apostolica Sede aliquis Ordo, Institutum, Superior, Religiosus consequeretur, numquam huic decreto derogatum esse censeatur, nisi ei expresse et nominatim derogetur, licet in concessione derogatoriae generales quamtumvis amplae apponantur. Quod si alicui Instituto expresse, et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime extendi poterit vi cujuscumque privilegii, et communicationis privilegiorum.

V. Quolibet anno die prima Januarii in publica mensa hoc decretum legatur sub poena privationis officii, ac vocis activae et passivae, a Superioribus ipso facto incurrenda.

Ne autem hujus decreti observantia aliqua ratione, titulo, praetextu impediatur, Sanctitas Sua

quibuscumque in contrarium facientibus constitutionibus, regulis, et statutis cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, nec non cuilibet privilegio licet in corpore juris clauso, et Apostolicis Constitutionibus ac decretis confirmato, ac expressa, individua, speciali, et specialissima mentione digno, aliisque contrariis quibuscumque prorsus derogat, et derogatum esse declarat.

Romae die 25 Januarii 1848.

7.

DECRETUM REGUL: DISCIPL: PAPA PII IX.

De receptione Novitiorum ad habitum et professionem

Pars Prima.

De lege servanda in probandis iis, qui ad habitum Religiosum admitti postulant.

Art. I. Qui duplici scrutinio juxta modum inferius exprimendum probatus non fuerit ad habitum nullo prorsus modo admittatur in quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, Monasterio, Domo, sive in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia, et licet agatur de Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, Institutis, Monasteriis, ac Domibus, quae ex peculiari privilegio etiam in corpore juris clauso vel alio quovis titulo, in decretis generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis specialis, individua, et expressa mentio fiat.

Art. II. In qualibet provincia habeantur octo Examinatores, scilicet Provincialis, et septem alii idonei Religiosi probatae vitae, prudentia, gravitate, ac zelo disciplinae regularis praediti a Capitulo seu Congregatione provinciali per secreta suffragia eligendi, ita tamen, ut si in Provincia sint Definitores, vel Consul-

tores vel Assistentes, vel alii, quocumque appellentur nomine, Consiliarii provinciales, duo ex ipsis in Examinatores deligantur. Examinatores in praefato munere usque ad novum provinciale Capitulum seu Congregationem perdurabunt.

Art. III. Cum aliquis ad habitum recipi postulaverit, Provincialis omnia exquirat documenta, et requisita ad praescriptum SS. Canonum, Constitutionum Apostolicarum, decretorum S. Congregationum, ac statutorum Ordinis, et diligenter inquirat circa illius qualitates, utrum nempe ab omni defectu, et impedimento immunis sit, et necessariis dotibus praeditus, religioso statui idoneus ac etiam an amore perfectioris vitae, et Deo liberius in Religione serviendi, seu potius levitate, aut necessitate, vel alio inordinato fine ductus admitti postulet. Deinde omnia praefata documenta et informationes tradat saltem tribus ex provincialibus Examinatoribus, exclusis iis, qui postulanti sint consanguinei, vel affines, ut eas absque ullo partium studio serio perpendant. Indicto examinis die Provincialis cum delectis ab ipso Examinatoribus conveniet, et posquam ipse, et alii Examinatores juraverint ad Sancta Dei Evangelia, *se quacumque humana affectione postposita fideliter munus executuros,* postulantem examinent, eoque ab examinis loco dimisso, ejus documenta, qualitates, et requisita, aliaque, quae superius notata sunt, serio expendant, et deinceps per secreta suffragia judicent an dignus sit, qui approbetur, super quibus omnibus Provincialis, et aliorum Examinatorum conscientia graviter onerata remaneat. Is autem probatus dumtaxat in-

telligatur, qui saltem unum suffragium supra medietatem obtinuerit. Si postulans praefato scrutinio probatus fuerit, examen, et scrutinium scripto fideliter exaratum Provincialis, et unusquisque ex Examinatoribus manu propria subscribet declarando etiam sese omnia requisita a SS. Canonibus, Constitutionibus et decretis Apostolicis et Regulis, et Statutis respectivi Ordinis praescripta debito modo examinasse; hujusmodi vero relationem examinis, et scrutinii, et respectivam declarationem jurejurando confirment. Quibus peractis Provincialis praefatam relationem, et declarationem una cum authenticis documentis ad Superiorem generalem, vel ad Procuratorem generalem, prout inferius in artic. XI explicabitur, trasmittet. Ne autem hujus decreti executio differatur usque ad celebrationem proximi Capituli vel Congregationis Provincialis, interim Examinatores Provinciales eligantur per secreta suffragia a Provinciali una cum suis Definitoribus, vel Assistentibus, vel aliis Consiliariis Provincialibus; et si hujusmodi Definitores, Assistentes, Consiliarii in aliquo Ordine desint, electio fiat a Provinciali una cum quatuor Religiosis graduatis, vel gravioribus, si graduati desint, ejusdem Provinciae ab eodem Provinciali deputandis.

Art. IV. In Ordinibus, aliisque Institutis, in quibus Provinciales non existunt, vel Provincialia Capitula seu Congregationes non celebrantur, Examinatores pro unaquaque domo Novitiatus eligantur juxta superius praescriptam methodum a Capitulo, Diaeta, seu Congregatione generali et Superior ejusdem

Domus loco Provincialis habeatur, cujus erit convocare Examinatores, et alia peragere, quae in art. III statuta sunt. Verum cum hoc in casu ob pauciorem Religiosorum numerum contingere possit, ut septem Examinatores eligi minime valeant, Examinatores numero minores, non tamen citra quatuor, eligi poterunt. Si autem hujusmodi Capitula, Diaetae, et Congregationes Generales statim non convocentur, interim electio Examinatorum fiat juxta modum in art. V. designandum.

Art. V. Si Institutum constet aliquo tantum separato Monasterio, Conventu, vel Domo, nec in Congregationem erectum sit, et capitulum, diaetam, congregationem generalem minime habeat, Examinatores capitulariter per secreta suffragia a superiore et Capitularibus ejusdem Monasterii, Conventus, vel Domus eligantur; et quoad eorum numerum serventur, quae in art. IV. definita sunt, ac in officio ad triennium perdurent.

Art. VI. Praeter memoratos Examinatores Provinciales in quolibet Ordine, Congregatione, Societate, Instituto alii septem Examinatores Generales constituantur, qui tamen ad quatuor reduci poterunt in iis Ordinibus, et Institutis, in quibus ob pauciorem Religiosorum numerum septem haberi nequeant. Hi ex gravioribus, et prudentioribus Religiosis Viris probatae vitae, ac zelo regularis disciplinae praeditis per secreta soffragia in Capitulo, Diaeta, vel Congregatione generali eligentur, ita tamen ut si agatur de Ordine, in quo sint Definitores Assistentes, Consultores, Visitatores, vel alii Consiliarii generales, duo

ex ipsis in Examinatores deputentur. Examinatores generales in officio usque ad futurum Capitulum, Diaetam, vel Congregationem generalem perdurabunt. Superior Generalis erit praeses cum suffragio in consilio Examinatorum; et Procurator generalis uti Examinator natus praeter electos habendus erit.

Art. VII. Examinatores Generales in intervallo quod intercedet a data hujus decreti usque ad celebrationem proximi Capituli, Diaetae, vel Congregationis generalis eligantur per secreta suffragia a superiore generali una cum saltem tribus Religiosis graduatis seu gravioribus Ordinis ab eodem Generali Superiore deputandis, et diligendis ex Definitoribus, Visitatoribus, Assistentibus, vel Consultoribus generalibus si adsint.

Art. VIII. Si agatur de Instituto, quod constituatur ex aliquo tantum separato Monasterio, Conventu, Domo, nec in congregationem erecto, et praeter localem, alius major Superior non habeatur, Superior localis probum, et idoneum deputet Religiosum, ut primum scrutinium, de quo in Art. III perficiat cum Examinatoribus electis juxta art. V; et ipse Superior localis cum iis Capitularibus ejusdem domus, qui locum in eodem primo scrutinio non habuerunt, secundum scrutinium in art. X. praescribendum exequetur.

Art. IX. Quod vero attinet ad Ordines, et Instituta, quae licet in Congregationem, et Societatem erecta sint, tamen in iis Capitula, Diaetae, et Congregationes generales vel non celebrantur, vel raro convocantur, in iisdem Ordinibus, et Institutis aucto-

ritas, quae Capitulis, Diaetis, et Congregationibus generalibus circa electionem Examinatorum superius attributa est, conceditur Superiori generali cum Definitoribus, Visitatoribus, Assistenbus, Consultoribus, aliisque, quocumque nomine appellentur, Consiliariis generalibus, ita tamen ut si Definitores, Assistentes, aliique Consiliarii generales non sit saltem quatuor, Superior generalis alios graves, et idoneos Religiosos eis adjungat ad enunciatum saltem numerum constituendum: quae Religiosorum deputatio potiori ratione fieri debeat si in Ordine, et Instituto Definitores, Assistentes, aliique Consiliarii generales non reperiantur. Quibus in casibus electio Examinatorum fiat per secreta suffragia quolibet triennio, nec electores teneantur duos Definitores, Assistentes, vel alios Consiliarios generales inter Examinatores adnumerare.

Art. X. Cum autem Superior Generalis relationem examinis et scrutinii, ac enunciatam superius declarationem cum authenticis documentis ad praescriptum art. III. receperit, ipse omnia accurate percurrat, ac per singulas partes expendat, per secretas etiam inquisitiones sedulo investigando num tenor hujus decreti servatus fuerit, et an adversus candidatum et primum scrutinium aliqua exceptio inveniatur. Quibus peractis Superior Generalis praefatam relationem, declarationem, et documenta ac requisita tradat Procuratori Generali, et saltem aliis duobus Examinatoribus Generalibus, qui cum candidato nullo consanguinitatis, vel affinitatis vinculo conjuncti sint; et quatenus Procurator Generalis non adsit,

tribus saltem Examinatoribus generalibus, ut omnia perpendant juxtá modum in art. III designatum. Postea vero indicto die conveniant, et praestito tam a Superiore generali quam a Procuratore generali et ceteris Examinatoribus, ut supra, juramento, reque mature perpensa, per secreta suffragia definiant an approbatio facta in primo scrutinio confirmanda sit, vel revocanda, super quibus omnibus conscientia Superioris generalis, et Examinatorum graviter onerata remaneat. Tunc autem approbatio confirmata intelligatur, quando ejus favore saltem unum suffragium supra medietatem habeatur.

Art. XI. Si superior generalis Romae non resideat, acta, de quibus in artic. III, ad Procuratorem generalem Romae morantem transmittenda erunt (valde enim expedire visum est secundum scrutinium Romae fieri), dummodo tamen idem Procurator tres saltem Examinatores generales Romae habeat, vel eos ad Urbem commode vocare possit. Quo in casu quoad praemissa omnia vices Superioris generalis gerat. Quod si Examinatores generales nec Romae degant, nec commode vocari possint, eadem acta ad Superiorem generalem, etsi alibi moretur, transmittantur, ut ea peragat quae in art. III statuta sunt.

Art. XII. Superior generalis, sive ipse, sive Procurator generalis secundo scrutinio praefuerit, poterit Candidatum ex justis, et rationalibus causis rejicere, licet fuerit ab Examinatoribus in utroque scrutinio probatus; numquam vero admittere eum, qui fuerit ab Examinatoribus reprobatus.

Art. XIII. Ut vero Candidatus definitive ad habitum

recipiatur praeter praescriptam legem, et formam, cui omnes omnino sese conformare debent, servanda etiam erunt, quae a Constitutionibus et Statutis respectivi Ordinis circa receptionem ad habitum ulterius praescribuntur, in ea tamen parte dumtaxat, quae huic decreto non opponitur.

Art. XIV. Superiores quolibet semestri ad hanc Sacram Congregationem super statu Regularium summarie referant de singulis Novitiis ad habitum receptis, de uniuscujusque aetate, patria, aliisque qualitatibus, et respectivis documentis, nec non de actis confectis pro receptione, deque observatione hujus decreti.

Pars Secunda.

De lege servanda in admittendis Novitiis ad professionem

Art. I. Quicumque ex Religiosis, et Novitiis alicujus Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus, de quibus part. I. decret. art. I. cognoverit Novitium sui Instituti aliquo impedimento, vel gravi defectu praepeditum esse ad religiosum statum rite assumendum, impedimentum ipsum et defectum Superiori Conventus Novitiatus, vel Provinciali generali manifestare teneatur. Superiores vero denunciantis nomen secretum retineant.

Art. II. Prope terminum cujusque trimestris novitiatus, Magister Novitiorum Provinciali de agendi ratione cujusque Novitii scripto referat.

Art. III. Duobus mensibus ante professionem Provincialis sive per se, sive per alium idoneum Religiosum sibi benevisum Novitii voluntatem diligenter exploret an coactus, an seductus sit, quo spiritu ad statum religiosum ductus, an sciat quid agat, an obligationes status religiosi, et regulae agnoscat: secreto audiat tum Magistrum Novitiorum, tum Novitios nec non Religiosos etiam Conversos Conventus seu Domus Novitiatus circa Novitium ad professionem admittendum. Quo facto Capitulum

conventuale ejusdem Conventus, seu Domus convocet, ut Capitulares per secreta suffragia declarent, an Novitius ad professionem admitti possit. Deinceps omnium actorum et resultantium relationem scripto exaratam propria manu subscribat, quin tamen eos, qui secreto deposuerint, ullo modo in aliquod discrimen adducat.

Art. IV. Hujusmodi relationem Provincialis tribus saltem Examinatoribus Provincialibus communicet; et condicto die convocet praefatos Examinatores et Novitiorum magistrum, et praestito ab omnibus superius enunciato juramento, Magister Novitiorum referat de Novitii agendi ratione in Novitiatu servata, de ejus libertate, vocatione et idoneitate ad statum religiosum, et declaret utrum ipse in Domino existimet novitium ad professionem tuto admitti posse. Si vero Magister Novitiorum vel ratione distantiae, vel alia legitima causa ad locum scrutinii commode accedere nequeat, trasmittat super praemissis relationem in scriptis, illamque juramento confirmet, et propria manu subscribat. Provincialis deinceps et Examinatores per secreta suffragia definiant, an Novitius necessariis dotibus praeditus sit, ut ad professionem tuto admitti possit, super quo eorum conscientia graviter onerata remaneat.

Art. V. Si novitius probatus fuerit, Provincialis de omnibus instructum reddat Superiorem Generalem, qui ulterioribus informationibus, quatenus necessarium judicaverit, requisitis, approbationem revocet, vel confirmet, prout in Domino judicaverit, quin tamen umquam permittere possit professionem

Novitii, qui ab Examinatoribus Provincialibus reprobatus fuerit.

Art. VI. In iis institutis, in quibus Provinciales non existunt, sint illorum loco ad effectum, de quo agitur, Superiores Domus Novitiatus.

Art. VII. Si quid ulterius exigant Constitutiones, et regulae alicujus Ordinis, et Instituti in admittendis Novitiis ad professionem, id servandum etiam erit in ea dumtaxat parte, quae tenori hujus decreti minime contraria sit.

Ut autem suprascriptum decretum quoad utramque ejus partem executioni omnino demandetur, Sanctitas Sua omnibus ad quos spectat etiam in virtute sanctae obedientiae districte praecipit plenam illius observantiam; et quemlibet Superiorem cujuscumque gradus sit, et Instituti quantumvis exempti, et privilegiati etiam de necessitate exprimendi, qui non servata hujus decreti forma Novitium ad habitum, vel professionem receperit, poenae ipso facto incurrendae privationis omnium officiorum, vocisque activae, et perpetuae inhabilitatis ad alia imposterum obtinenda plane subjicit, a qua nonnisi ab Apostolica Sede poterit dispensari. Mandat etiam singulis Superioribus idem decretum quolibet anno in omnibus Monasteriis, Conventibus, Collegiis et Domibus *die prima Januarii, et Dominica prima Julii in publica mensa legi sub poena privationis officii, ac vocis activae, et passivae ipso facto incurrenda.* Decernit insuper vi cujuscumque privilegii, facultatis, indulti, dispensationis, approbationis regularum, et constitutionum etiam in forma specifica, quam ab

Apostolica Sede aliquis Ordo, Institutum, Superior, Religiosus consequeretur, numquam huic decreto derogatum esse censeri, nisi ei expresse, et nominatim derogetur, licet in concessione derogatoriae generales quantumvis amplae apponantur: quod si alicui Instituto expresse, et nominatim dispensatio super eodem decreto aliquando concedi contigerit, aliis minime extendi posse vi cujuscumque privilegii, et communicationis privilegiorum. Tandem Sanctitas Sua nec hujus decreti observantia aliqua ratione, titulo, praetextu impediatur quibuscumque in contrarium facientibus Constitutionibus, regulis, et statutis cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, Instituti, Monasterii, Domus etiam in forma specifica ab Apostolica Sede approbatis, nec non cuilibet privilegio licet in corpore juris clauso, et Apostolicis Constitutionibus ac decretis confirmato, ac expressa, individua, speciali, et specialissima mentione digno, aliisque contrariis quibuscumque Apostolica auctoritate prorsus derogat, et derogatum esse declarat.

Romae die 25 Januarii 1848.

8.

Dispositiones SSmi Pii Papae IX. super nullitate Professionis solemnis, non praemissa professione simplici.

PIUS PAPA IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad universalis Ecclesiae regimen, Deo sic disponente, vocati, pro pastorali, qua urgemur, sollicitudine haud praetermisimus ad religiosas quoque familias mentis aciem, animique curas intendere, ut eae, de christiana et civili republica optime meritae, ad pristinum splendorem revocarentur, et incrementum acciperent. Probe autem agnovimus tristissimis hisce temporibus, quibus inimici Crucis Christi humana divinaque omnia pessumdare, ac mores pervertere student, maximam adhibendam esse curam, sollicitudinem, diligentiam, ad eorum spiritum uti, par est, probandum, qui vota solemnia Deo nuncupare postulant, ne quis admittatur, qui saeculi contagione pollutus electum Christi gregem inficiat; vel verae vocationis expers, susceptique Instituti pertaesus gravem sodalibus molestiam inferat cum disciplinae perturbatione, et regularis observantiae discrimine. Idcirco, audito voto VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis super

statu Regularium, nonnulla hac super re mandavimus edi decreta, inter quae illud praesertim in praesens commemorandum est, quod per litteras encyclicas die XIX. Martii MDCCCLVII. a Ven. Fratre A. Archiepiscopo Philippensi memoratae Nostrae Congregationis Secretario signatas, publicatum est. In praefatis autem Litteris haec, quae sequuntur, quoad religiosos virorum Ordines, ac Instituta ex Nostro expresso mandato, et Apostolica auctoritate sancita fuere, scilicet « *Peracta probatione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum, et statutorum ordinis a S. Sede adprobatorum, novitii vota simplicia emittant postquam expleverint aetatem annorum sexdecim ab eodem Tridentino Concilio statutam, vel aliam majorem quae forsan a statutis proprii Ordinis a S. Sede approbatis requiratur, et quoad laicos et conversos postquam ad eam pervenerint aetatem, quae in Constitutione Clementis VIII, incipiente* « In Supremo » *praefinita est. Professi post triennium a die, quo vota simplicia emiserint computandum, si digni reperiantur ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus jam concessa fuerit. Poterit vero Superior generalis ac etiam Superior provincialis ex justis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre,* NON TAMEN ULTRA AETATEM ANNORUM VIGINTIQUINQUE EXPLETORUM. *Si vero in Ordine seu Instituto Provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum*

solemnium facultas attribuitur etiam Superiori domus Novitiatus, de consensu tamen Magistri novitiorum, et duorum Religiosorum, qui in Instituto aliquo gradu sint insigniti. Decreta Congregationis soper statu Regularium incipien. « Romani Pontifices, et Regulari disciplinae » *anno MDCCCXLVIII. promulgata omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum, et professionem votorum simplicium* ». Postquam hoc decretum executioni demandatum fuit ex ipsa experientia comperimus quantum utilitatis ex eo religiosae familiae retulerint, et referre possint. Verum nuper agnovimus aliquos novitios, praetermissa professione votorum simplicium, ad vota solemnia nuncupanda admissos fuisse, et exinde circa dictorum votorum solemnium validitatem gravia dubia suborta esse. Nos igitur cupientes in re tanti momenti omnem ambigendi causam in posterum removere, motu proprio, et certa scientia, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, quoad religiosas virorum familias *cujuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti in quibus solemnia vota emittuntur statuimus, ac decernimus* NULLAM OMNINO, IRRITAM, ET NULLIUS ROBORIS FORE PROFESSIONEM VOTORUM SOLEMNIUM tam scienter, quam ignoranter, quovis modo, praetextu, et colore factam a novitiis quibuscumque etiam laicis, et conversis, qui licet probationem et novitiatum prout de iure expleverint, *non emittant* PRIUS PROFESSIONEM VOTORUM SIMPLICIUM, *et in ea per triennium integrum non permanserint,* quamvis vel a Superioribus, vel a novitiis, vel ab utrisque intentio habeatur respective reci-

piendi ad vota solemnia, et ea emittendi, ac omnes ritus adhibeantur ad professionem votorum solemnium praescripti. Haec volumus, statuimus, praecipimus, mandamus non obstantibus, quatenus opus est, Constitutione Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, et in universalibus, provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, regulis, statutis, et consuetudinibus cujusque Ordinis, Congregationis, et Instituti etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, innovatis, quamvis specifica et individua mentione dignis, quibus omnibus et singulis illorum tenoribus praesentibus pro insertis habentes ad praemissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Decernentes has Nostras Litteras semper et perpetuo validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, ad quos spectat et in futurum spectabit plenissime suffragari, et ab omnibus inviolabiliter observari, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, ac inane esse et fore volumus, et declaramus.

Romae, die 7 Febr. 1862.

Satis de *Constitutionibus Apostolicis:* nunc *ad Commentaria.*

LIBER PRIMUS

DE NOVITIIS

Caput Primum

De Novitiatu

§. 1.us

Quid Novitiatus; et quaenam requisita ad ejus institutionem?

In quacumque religione tam virorum quam mulierum *professio* non fiat... nisi quis antea, post susceptum habitum regularem, in *probatione* steterit, — Conc. Trid. Sess. 25 — de Reg. Cap. 15. — et haec *probatio*, Novitiatus nomine, appellatur.

Ex *probatione* fiunt *Novitii*, a quibus bonum Religionis vel malum omnino dependet: namque hi sunt semina, hi sunt palmites, et a bonitate, vel malitia eorum, boni fructus colliguntur, aut mali.

Hinc Romani Pontifices incessanter leges saluberrimas dederunt, quibus novitiae vites in sanctitate et virtute percrescerent, et sanctitatem atque virtutem in alios inducerent.

Proinde S. Congregatio super Disciplina Regulari in decretis editis an. 1695, auctoritate Inno-

centii XII, statuit — ut Superiores omnes in unaquaque Provincia per Italiam et Insulas adiacentes Conventus destinarent magis aptos ad recipiendos retinendosque Novitios, in quibus Regularis observantia, vita communis, et exacta disciplina servaretur. Ibique praeessent Superiores graves, charitate, morumque suavitate praediti; Religiosi adessent devoti ac pietatis cultores.

Novitiatus locus constituendus esset in parte Conventus distincta, et separata ab ea, in qua degunt Professi. Unicuique novitio cellula assignaretur. Hortus quoque Novitiis particularis extaret: ipsis nihil deficeret: Nemini liceret ingredi ad locum Novitiatus, neque, ubi commorantur Novitii, sive ipse sit officialis praeter Magistrum Novitiorum, ejusque socium: et si Superior aliquis necessario accedere deberet, socium ex senioribus Patribus Conventus sibi sumeret. Denique Clavis Clausurae Novitiatus per Magistrum Novitiorum semper retinenda esset.

Quae omnia praesentibus rerum adiunctis actuari difficillime possunt; unde Superiores Generales ad S. Sedem pro dispensatione saepe saepius recurrunt: et S. Congregatio benigne annuit « *salva tamen* « *substantia conditionum;* atque ea expressa lege, ut « tractu temporis, quatenus fieri poterit, *observantia* « *augeatur* ».

§. 2.us

A quanam auctoritate sit instituendus Novitiatus; et per quamnam personam; a quonam dispensari?

Sed ne minus gravis praescriptio in re tam solemni, actu diminueretur, INNOCENTIUS XII. in *Bulla Confirmationis S. Congregationis super Disciplina Regulari 4 Augusti 1698.* § 3. « Eidem facultatem « tribuit DESIGNANDI ac DEPUTANDI pro *Novitiatibus* « et *Professoriis* CONVENTUS, *Monasteria, Collegia,* « ac *Domus* quorumcumque Monachorum, ac Regu- « larium Virorum *cuiusque Ordinis, Congregationis,* « *Societatis, et Instituti, tam Mendicantium quam* « *non Mendicantium, etiam necessario exprimendi;* « *nec non Novitiatus,* et Professoria hujusmodi « *mutandi, transferendi, suspendendi* et *suppri-* « *mendi,* prout utilitas et necessitas postulaverit ac « exegerit, *dandi* licentias Superioribus regularibus, « ad quos pertinet, *recipiendi in Novitiatibus* sic *de-* « *putatis Novitios ad habitum et professionem,* etc. ».

Et iure meritoque, namque Sedes Apostolica veluti suum *peculiarem* clerum Religiosos respicit, et per consequens eorum institutionem et educationem sibi reservat: indulgens Superioribus, ut domus ab iisdem proposita « pro *Novitiatu* cano- « nice designata habeatur, dummodo in ea omnia

« et singula a Constitionibus Apostolicis et Ordinis « requisita pro Novitiatus erectione, Novitiorumque « educatione concurrant ». — Ex quo clarum est, Ordinarios Dioecesanos nullum ius, nullamque iurisdictionem exercere posse, sive in *canonica erectione Novitiatuum*, sive in eorum usu; agitur enim de auctoritate S. Sedi reservata, et de interno Religiosorum *exercitio*, cui Apostolica exemptio omnimode favet.

Cum autem quaeratur a quonam dispensari possit Novitiatus, facile, ex dictis, responsio descendit — *nonnisi a Romano Pontifice, qui supra Concilium, legesque ecclesiasticas extat* — *Ben. XIV de Syn. dioecesan. libr. 13. 12.*

Quid denique dicendum de *recluso Novitiatu* (Noviziato aperto)?

Non semel atque iterum Superiores ad S. Congregationem ingenue deduxerunt, suos iuvenes Postulantes *formalem probationem* fecisse, nullis vel fere nullis servatis conditionibus a nobis pro Novitiatu superius relatis, ac deinde quaesierunt — an possent eos *sic probatos admittere ad professionem Votorum simplicium*? Quibus S. Congregatio semper *negativum* dedit responsum; quinimo admirationem indixit, et monita dedit, ne in posterum quid simile ageretur.

§. 3.us

An exposita doctrina pro Italia et Insulis adjacentibus sit applicanda aliis Nationibus?

Inter *Officiales* S. Congregationis et nonnullos *Superiores* Ordinum agitata est plerumque proposita quaestio — aientes *secundi* — Romanos Pontifices *taxative* locutos fuisse de Italia et Insulis adiacentibus; hinc incivile esse illas dispositiones ad alias extendere Nationes — quod juxta scientiae monita forsitan est verum: tamen in casu nostro *concreto et speciali* multa sunt consideranda. Et *Primi* revera ex principiis coeteris arguentes observant — *Unum* esse Ordinem Religiosum — unamque entitatem — eamdemque naturam repraesentare; eumdemque finem habere; iisdemque Constitutionibus obtemperare; ab eodem Capite (a Summo Pontifice) emanare; ac proinde *id quod* pro Uno Religioso erat constitutum, pro altero constituendum erat; secus enim hoc descenderet absurdum — nempe: *idem* Individuum *ad idem* corpus pertinens, diverso regimini esse subiectum juxta diversas in mundo mansiones: contra Apostolicae Sedis agendi rationem, quae plerumque principia et regulas *determinate* proponit; ac deinde eas ad species similes facile deducit: ex quo factum est, ut formali iure, iureque authentico, Ecclesiam universaliter regat, et constitutas regulas in omnibus uniformiter doceat.

Hisce rationibus non pauci ex doctissimis Religiosis sunt suasi; dum alii in sensu proprio abundarunt. — Videant ipsi. Sed non obliviscantur Ordinationum Innoc. XII. in Bulla *Debitum Pastoralis officii* § 4. — aientis: « Coeterum quia sicut « nonnullorum Romanorum Pontificum Praedeces- « sorum nostrorum vestigiis inhaerentes Regularibus « Italiae Insularumque Adiacentium, utpote Nobis « propioribus ac veluti ante oculos hujus S. Sedis « constitutis, quosque proinde coeteris Religiosae « vitae exemplo praelucere maxime decet, praeci- « puam quandam Apostolici muneris nostri solle- « citudinem impendendam esse duximus; *ita reliquos « omnes Religiosos Viros* TOTO ORBE DIFFUSOS *nostrae- « que speciali curae subiectos, minime negligendos « putamus....* praecipimus et mandamus, et prae- « cipuum ac peculiare dictae Congregationis munus, « et cura sit Nobis ea iugiter suggerere et propo- « nere, quae pro eorumdem Regularium UBICUMQUE « EXISTENTIUM, CUIUSCUMQUE ORDINIS sint, fovenda « seu reparanda Disciplina, felicibusque illorum in « via Mandatorum Domini progressibus, et lauda- « bilibus studiis iuvandis necessaria et opportuna « fore in Domino iudicaverit ».

Ergo Religiosi *ubicumque consistant* curae S. Sedis sunt eodem modo concrediti. Quibus addendum practicum criterium S. Congregationis, cui datum non est — *propter rationes sibi notas* — Ordinationes semper emittere *generales:* sed tantum emanare dispositiones *particulares*, quae, in applicatione tamen ad universalia exurgunt.

§. 4.us

Ubinam instituendus Novitiatus?

Ait Innocentius XII. in cit. Decretis editis ann. 1695. §. 2. — « Novitiatus instituendus in Conventibus in quibus *Regularis Observantia, vita communis, et exacta servatur Disciplina* ».

1° Cum vero *regularis observantia* habeatur in Conventibus, opus est, ut familia religiosa ad normam iuris sit constituta. Inibi revera adsint *sex Religiosi* probatae atque maturae aetatis, quorum saltem *quatuor* Sacerdotes, si erecta sunt monasteria ante Decretum Urbani VIII., videlicet ante 21 iunii 1625. — et quae, si erecta sunt post id temporis, *duodecim Religiosi actu reperiantur*, quorum *octo* Sacerdotio sint insigniti. — Innoc. X. Constit. uti *in parvis*. Monacelli tit. 6. form. 20. n. 9.

Ast post hodiernam Ordinum perturbationem, Pius Papa IX., *firmis remanentibus dispositionibus apostolicis ubi fieri poterit* — pro Italia et Insulis Adiacentibus, benigne indulsit, ut familia Religiosa constituta haberetur, si saltem *tres Religiosi* Sacerdotes in Conventu exstarent; et Leo XIII. ad *quatuor saltem Sacerdotes* hujusmodi dispositionem extendere voluit.

Hinc S. Congregatio necessitatem atque utilitatem Ecclesiae mature considerans, petitionibus Superiorum instanter propositis, si quandoque dispen-

sationem indulget; ea conditione illam cencedit — ut, *quatenus citius fieri poterit oratores curent numerum Sacerdotum augere.*

2° *Vita Communis* — Prosequitur Innocent. XII. in Decret. cit. §. 9. — « Porro ne Regularis Disci-
« plina, dum in Conventibus iam erectis statuitur,
« relaxetur in erigendis, et quod una ex parte
« construitur, simul ex altera destruatur, Sacra Con-
« gregatio, Sanctitate sua similiter adprobante, sta-
« tuit atque decernit, nulla in posterum Monasteria,
« Collegia, Domos, Conventus, aut alia Religioso-
« rum Virorum loca fundari, erigi, aut quovis modo
« institui debere, nisi *sub expressa obligatione*
« *exactae* VITAE COMMUNIS ab omnibus Religiosis
« ibi commorantibus perpetuo, et inviolatae *servan-*
« *dae* ». — Et iure, namque diversitas vitae temporalis inducit in ordinibus diversitatem vitae spiritualis; animorum concordiam frangit; ac in inordinatum se confert appetitum.

Quibus omnibus consonant; quae omnia confirmant, et extendunt dispositiones Summi Pontificis Pii Papae IX. in litt. 12 Aprilis 1851. ceterisque decretis.

Quapropter S. Congregatio consilia et ordinationes hoc in sensu plerumque in medium profert, et Apostolicas Sanctiones reluctantibus memorare conatur.

Ast quomodo se gerit Auctoritas, si Religiosus suam emiserit professionem vitam communem non amplectens? Renuentem suasionibus et monitis Superiorum in Conventum aliquem Provinciae, in quo non servatur perfecta vita communis, jubet

transferri, ne aliis Religiosis, praesertim adoloscentibus scandala eveniant.

3° *Exacta Disciplina* habetur, cum unusquisque Religiosus, sive Superior, sive subditus officium suum propter conscientiam adimplet, juxta praescriptiones Pii VII. in *Decreto de Reformatione Regularium 22 Aug. 1814. §. XI.* « Coeterum, « ait, quae per Sacros Canones, Apostolica Decreta, « et Singulorum Ordinum regulas, et Constitutiones, « praesertim in Oratione mentali, de servitio Chori, « examine conscientiae, frequenti Confessione sacra- « mentali, silentio, Capitulo et correctione culparum, « lectione ad mensam habenda, lectione item S. Scri- « pturae, vel casuum conscientiae, collatione, aut « sermone super Disciplina regulari, et acquisitione « virtutum, deque non suscipiendis muneribus quo- « cumque praetextu extra suum Ordinem sine sui « Superioris licentia, aliisque spiritualibus exercitiis, « prudenter ac pie sancita sunt, ea omnia et singula « accurate serventur ».

Cui addenda sunt monita Clement. VIII. in Decret. pro Reformatione Ordinis Fratrum Servorum B. V. M. 22 Aug. 1604. idest — non esse retinendos in Conventibus bannitos, criminosos et delinquentes... nullos servorum saecularium... neque praetextu servitutis ecclesiae, extraneum quemquam ad edendum, vel ad discendum, sive aliud quidpiam agendum, sub poena suspensionis ab officio per sex menses ipso facto incurrenda — Et haec dicta sint contra eos omnes, qui *exactam disciplinam* impediunt, et observantiam regularem diminuunt.

Hinc S. Congregatio, hisce mature consideratis, domum a Superioribus propositam *canonice pro Novitiatu designatam habet « dummodo in ea omnia « et Singula a Constitutionibus Apostolicis et Or- « dinis requisita pro Novitiatus erectione, Novitio- « rumque educatione et institutione concurrant ».*

§. 5.us

An domus, in qua instituendus sit Novitiatus, debeat erigi in Canonicam; a quanam auctoritate; et per quamnam personam?

Domus aedificata quaecumque ea sit, et quamlibet exhibeat formam, ex se nullum habet privilegium; et inter res sacras adnumerari nequit, nisi accedat Auctoritas apostolica, quae ad sublimem Ordinem eam erigat. Erectio tamen hujusmodi fit *per Medium Episcopi Dioecesis*, in cujus iurisdictione Domus erigenda locum habet — ne, ipso insciente, ius ei quaesitum aliquo modo laedatur.

Unde S. Congregatio, praevio gravi examine super Domo a Superioribus exhibita, praevio consensu Ordinarii in scriptis praestando — « eidem « Episcopo facultatem concedit pro canonica erectione « praefatae Domus in Conventum cum omnibus pri- « vilegiis, iuribus, gratiis, honoribus et exemptionibus « (Ordini petenti) a S. Sede, et a Summis Ponti- « ficibus usque adhuc quomodocumque concessis;

« dummodo in praedicta Domo omnia et singula « inveniantur requisita, quae, a Constitutionibus « Apostolicis et Ordinis, pro hujusmodi canonica « erectione statuta sunt ».

Et haec est Domus de qua loquitur Clemens VIII. in §. 20. Decretor. generalium de Reformatione Regularium 20 Mart. 1601 — « Nulli in posterum « ad habitum et professionem admittantur, *nisi in* « *Conventibus per Sedem Apostolicam in qualibet* « *Provincia Deputandis* ».

Hic quaeritur curnam Episcopus in *erectione Domus* intervenire debet; *minime* vero in *erectione Novitiatus?* Quia in prima agitur de limitatione eius iurisdictionis; in altera vero de interno iurium exercitio ad Religiosos tantum pertinentium.

§. 6.us

Quaenam sint jura ac privilegia, quae ex hujusmodi canonica erectione proveniant; et praesertim de exemptionibus et Clausura?

Primum notandum est, per canonicam erectionem Domum ex profana inter res sacras elevari, et familiam, quae ibi commorabitur inter religiosas, recenseri. Qui *religiosi* quatenus *Clerici*, habent ea quae Clericis sunt communia, ex. gr. privilegium *fori* et *canonis;* uti vero *Regulares* habent iura et privilegia, quae illis Romani Pontifices con-

tulerunt. Praecipue, ut unaquaeque Regularium Domus suos ministros habeat, et Praefectos, omnesque uni Capiti, tanquam summo moderatori, subiiciantur: quaelibet familia propriam teneat Ecclesiam, aut sacellum, ubi non solum preces Deo fundere possunt, sed liturgiam celebrare, et plura sacra facere, quae propria sunt Ecclesiarum Cathedralium et Parochialium. In iisdem Ecclesiis adservare Sanctissimum Sacramentum, et praeterquam in uno solemni Paschatis die, cuivis administrare. Bened. XIV. De Synod. lib. 9. Cap. 16.

Ius potissimum tamen et *privilegium* est *Exemptio* Regularium a iurisdictione Episcopi ad mentem Constitut. Sixti IV. an. 1474. quam dicunt *Mare magnum*, et Concilii Triden. quatenus hodie Regulares subesse debeant Episcopo, vel tanquam Pastori Ordinario, vel uti Sedi Apostolicae Delegato. Ast iuxta statutum propositum nostra, non interest praecipua capita recensere, sed tantum heic monere: Romanos Pontifices considerare prae coeteris *Religiosos* sibi *immediate subjectos* et sicuti *suum Clerum particularem habere*. De eo enim usi sunt praesertim in rerum generali perturbatione; et cum vesana Societas, et populi rebelles scinduntur in partes. Hinc Sedes Apostolica iura *exemptionis* tuetur quamplurimum.

Nunc de *Clausura*.

Romani Pontifices, Statuta Regularium adprobantes, *Clausuram* in primis constituunt, et quanam ratione? « Ut, inquit Clem. VIII. in Decretis Genera-« libus de Reformatione Regularium, omnis scandali

« et vagationis occasio tollatur, *Conventus Clausura* « *perpetuo ac diligenter servetur*, ac propterea a Su- « periore Ianitor constituatur, qui diligentia ac mo- « rum integritate maxime commendetur, is ianuae « cunstodiendae semper assistat, eamque nemini « Fratrum aperiat, nisi socium et exeundi licentiam « obtinuerit. »

Nullus proinde e Conventu egredi audeat nisi ex rationabili causa, cum socio *et licentia singulis vicibus impetrata a Superiore.*

Neque vero in Clausuram ingredi valeat mulier, etsi nobilis, aut Religiosis propinqua, absque legitima causa et sine licentia Romani Pontificis in scriptis conferenda.

Hinc S. Congregatio, petitionibus obvenientibus, numquam mulieribus permittit Clausurae ingressum — *nisi determinatis vicibus; duabus honestis sociis comitatis; non ante Solis ortum, neque post Solis occasum.*

Operariis autem mulieribus ingressum huiusmodi, ea tantum expressa lege, concedit « ut mu- « lieres per ianuam a Religiosorum habitatione « prorsus separatam ingrediantur et egrediantur, « et ad locum, quamdiu ipsae ibidem manebunt, « Religiosi minime accedant, unico excepto, si forte « opus fuerit, provectae aetatis et probatae vitae, « qui praesit operibus; adhibitis caeterum cautelis « ne oriantur scandala, super quibus Superioris « localis oneratur conscientia ».

Inde quaeritur: potest necne hujusmodi Clausuram dispensare Episcopus?

Cum in re agatur de Religiosis viris, et de Monasteriis Sedi Apostolicae immediate Subiectis, Soli Romano Pontifici reservata est Clausurae dispensatio. Quam tamen S. Congregatio, *nisi legitima causa, necessitas, aut Ecclesiae utilitas concurrant, minime concedere solet.*

Caput Secundum

De Receptione Postulantium ad habitandum in Claustris, et ad habitum.

§. 1.us

Utrum Superiores teneantur licentiam obtinere quotannis a S. Congregatione quoad NUMERUM RECIPIENDORUM?

Tempore Congregationis super Statu Regularium, ipsius Decretis ab Innocentio X. et Alexandro VII. approbatis, statutus est *numerus Novitiorum* concedendus unicuique Provinciae; quam concessionem Apostolica Sedes indulgere usa est quum, numerus Religiosorum redditibus Conventus aequivaleret: ad mentem Clem. VIII, qui in Decret. Generalib. de Reform. Regul. §. 7. edixit — « ut in unoquoque « Conventu Fratrum is tantum deinceps consti- « tuatur, et in posterum retineatur numerus, qui « ex redditibus illis propriis, vel ex Communibus « consuetis, vel etiam singulorum eleemosynis, aliis- « que quibuscumque in commune, ut praefertur, « conferendis, commode possit sustentari.

« Si quis autem contra praesumpserit attentare, « *is eo ipso omni gradu officioque privatus, et ad* « *ea perpetuo inhabilis existat* ».

Tractu temporis hujusmodi praescriptiones a nonnullis Ordinis Superioribus neglectae fuerunt: hinc S. Congregatio super Disciplina regulari ab Innoc. XII. in Bulla Erectionis. §. 3. inter caetera, instituta fuit, *ut exactam Regulae observantiam vigilaret; decretorum executionem compleret; omnia perageret,* quae ad vitam perfecte religiosam conducerent; necnon *poenis et censuris ecclesiasticis* contra renitentes procederet.

Et ad effectum inhaerens mandatis ejusdem Pontificis Inn. XII. in d. Bulla §. 3. cit. *quoad licentium concedendam circa* NUMERUM *Recipiendorum:* et in Constit. ipsius Pontificis §. 2. — *Sanctissimus in Christo Pater* — SPECIALIBUS *Decretis* unicuique Ordini indixit, ut *quotannis* unusquisque Superior Generalis imploraret *Novitiorum Receptionem* pro unaquaque Provincia et Conventu, declarans *numerum Recipiendorum* sive laicorum, sive Choristarum: cui petitioni eadem S. Congregatio ordinario indulget *ad annum;* quo elapso iterum est recurrendum.

Notantur heic specialia Decreta, eorumque originem, ut Superiores respectivi videant, utrum in hac re tam gravi, adhibuissent diligentiam requisitam, ac proinde Novitiatus et Professiones inde secutae, sint ad normam Constitutionum Apostolicarum et Ordinum.

En series Decretorum, quae S. Congregatio super

Disciplina Regulari ad quodcumque Institutum Religiosum jam dedit.

Pro Ordine FF. *Minorum* S. Francisci: 28 Novemb. 1848 — 22 Decemb. 1848.

Minorum Capucin. die 28 Nov. 1848;
Ministr. pro Infirmis 28 Mart. 1857;
SS.mae Trinitatis 22 Junii 1853;
Augustinian. 22 Dec. 1849; 20 Jun. 1857;
Carmelit. 9 Januar. 1849; 20 Maji 1874;
B. Petri de Pisis 23 Junii 1853;
Sylvestrin. 16 Novemb. 1857;
Camaldulen. 14 Aug. 1854;
Camald. Eremit. 10 Julii 1850;
Min. Conventual. 18 Decemb. 1849;
Barnabit. 6 Febr. 1855;
Praedicat. 10 Januar. 1863;
Cistercien. de Casamari 27 Aug. 1850;
Trappens. 19 Febr. 1850;
Servor. B. V. 26 Febr. 1850;
Vallombros. 10 Sept. 1859 etc. etc.

Quid si Superiores recipiant Postulantes absque venia S. Sedis, vel ultra numerum ab ea concessum, eosque sic receptos, ad *Novitiatum* et *Professionem* admittant? Censuras incurrunt: actus deinde secuti nullitate laborant.

Hinc S. Congregatio postulantibus Superioribus pro absolutione, sanatione et facultate, his verbis indulget: « attentis expositis, *Receptionem*, *Novi-* « *tiatum* et PROFESSIONEM *praefati Postulantis*, cum « omnibus inde secutis, benigne *in radice* sanat, « atque revalidat; itemque omnes actus a Superio-

« ribus, *post contractas poenas* gestos, simili modo
« sanat; eosque Superiores in pristinum officium
« redintegrat; atque ad munia et iura rehabilitat,
« serio monens ipsos, ut cautiores in posterum se
« gerant ».

Hinc facultatem concedit retinendi in Claustris eos *sic receptos.*

Quandoque propter extraordinarios eventus, vel mortalitatis causa, plures eodem tempore deficiunt Religiosi; vel post expletum numerum in licentia generali contentum, aliquis se exhibet juvenis bonae voluntatis et verae vocationis, qui Claustra petit; tunc S. Congregatio, instantiis P. Procuratoris Generalis, receptionem concedit, *impositis conditionibus primaevae permissioni statutis.*

Quod si expleto praefato Recipiendorum numero, aliquem vel plures quivis Superior ad RECEPTIONEM TANTUM admittit *sine antecedenti licentia*, hujusmodi *receptio* est irregularis, et dictus Superior etiam incidit in censuras.

Tunc S. Congregatio — precibus P. Procuratoris, vel Generalis — « praevia absolutione a poe-
« nis et censuris a Superioribus ob praemissa con-
« tractis, *eorumque restitutione ad officia*, et reha-
« bilitatione ad pristinos gradus, sanatis etiam omni-
« bus actis ab iisdem gestis, RECEPTIONES de quibus
« agitur, benigne in radice sanat, atque revalidat:
« adeo ut praefati Postulantes, expleto formalis
« probationis cursu, ad Votorum Simplicium pro-
« fessionem, servatis servandis, licite ac valide ad-
« mitti possint; dummodo in actu emittendae pro-

« fessionis, de praesenti indulto se uti velle ipsi
« declarent voce et scriptis ».

Ex quibus patet Superiores semper Censuras incurrere si — absque licentia Apostolica — recipiant in Claustra Postulantes, eosque ad *Novitiatum* et *Professionem* admittant; sive *tantum* eos *recipiant:* et actus indė secuti uti *nulli* retinentur.

Hinc transcribitur decretum originale *super re* emanatum a Summo Pontifice Innocent. XII.

« Sacra Congregatio super Disciplina Regulari
« prospicere volens, ut ea, quae *pro recta Novi-*
« *tiorum receptione,* ex qua regularis observantiae
« firmitas, et progressus maxime pendere digno-
« scitur, a Sacris Canonibus, Apostolicis Constitu-
« tionibus, ac novissimis ejusdem S. Congregationis
« decretis salubriter constituta sunt, *exactius* et *accu-*
« *ratius observentur*, multisque occurratur incom-
« modis, quae in *ejusdem observantiae perniciem*
« *irrepere quoquomodo possunt;* praesentis Decreti
« tenore *revocat, irritat, et annullat, ac pro nullis*
« *habere statuit, atque decernit omnes et singu-*
« *las licentias, (facultates) tam generales, quam par-*
« *ticulares* RECIPIENDI NOVITIOS, tam Clericos, quam
« Laicos, seu Conversos, *ad habitum regularem*
« intra Italiam Insulasque adiacentes, quibuslibet
« CUJUSCUMQUE ORDINIS, SOCIETATIS ET INSTITUTI,
« etiam NECESSARIO EXPRIMENDI, tam *Mendicantium,*
« quam *non Mendicantium* Superioribus, et Per-
« sonis quomodolibet concessas ante diem Confir-
« mationis, seu novae erectionis ipsius S. Congre-
« gationis per litteras apostolicas in forma Brevis

« SS.mi D.ni N.ri — Romae 4. Aug. 1698 — et
« hactenus usque ad diem praesentis Decreti execu-
« tioni non demandatas: ita ut *nemini liceat iisdem*
« *licentiis seu facultatibus ullo modo uti, aut earum-*
« *dem vigore quempiam ad habitum Novitiorum*
« *recipere,* ac si prorsus non emanassent: et nihi-
« lominus *receptiones* quascumque, quae vigore
« earumdem imposterum fierent, sicut *et Profes-*
« *siones, quae inde sequerentur,* OMNINO NULLAS, IR-
« RITAS, et INANES *ex nunc decernit atque declarat;*
« SUPERIORES vero et alios quoscumque, qui hujus
« Decreti transgressores extiterint, *poenis* per De-
« creta Generalia sa: me: Clement. VIII. pro Re-
« formatione Regularium CONTRA RECIPIENTES SINE
« LEGITIMA FACULTATE NOVITIOS AD HABITUM *seu* PRO-
« FESSIONEM REGULAREM, *ipso facto et absque alia*
« *daclaratione subiacere.* PRIVILEGIIS, STATUTIS, CON-
« SUETUDINIBUS, *aliisque quibuscumque minime obstan-*
« *tibus* — Romae 7. Januarii 1700 ».

Quae dispositiones nulla indigent interpretatione.

§. 2.us

An data licentia Receptionis, Postulantes admitti possint ad habitum regularem sine litteris testimonialibus Ordinariorum?

Pius Papa IX. in decreto diei 25 Jan. 1848, incipiente: *Romani Pontifices* sequentia statuit:

1° In quocumque Ordine, Instituto, Monasterio, vel Domo, sive in iis emittantur vota so-

lemnia, sive simplicia, et licet quovis privilegio suffultis, nemo ad habitum admittatur *absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci,* in quo Postulans post expletum decimum quintum annum aetatis suae, *ultra annum* moratus fuerit.

2° Ordinarii in praefatis litteris testimonialibus referre debeant de Postulantis *natalibus, aetate, moribus, vita, conditione, educatione, scientia, an sit inquisitus, aut alio impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicujus administrationis rationi obnoxius* — Clemen. VIII. Super Recept. et Educat. Novitior.

Haec est Lex, et lex adamussim servanda. Sed antequam ad examinandos singulatim praefatos articulos descendamus, quaerendum est — an liberum sit Episcopis huiusmodi testimoniales litteras denegare?

Negative — et si quoquo modo litterae deficiant, a S. Congregatione super Statu Regularum suppleri solet. Declarat. S. Congreg. Super Statu Regul. 25 Jan. 1848.

Quid si Postulans in diversis Dioecesibus moratus fuerit? Pius Papa IX in cit. Decr. respondet: litteras hujusmodi esse obtinendas tum ab Ordinario *originis*, tum etiam ab Ordinario *loci* — Tamen sive susceptio habitus sive professio, omissis testimonialibus litteris, non *invalida,* sed tantum *illicita* est.

Nunc ad articulos.

§. 3.us

De Postulantium Natali, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia etc.

Cum in Ecclesia Dei omnes ejus divini Institutoris perfectionem respicere debeant, oportet eos procul habere, qui etiam longe illam obumbrare praesumuntur. Hinc personis facile aditus non datur, quae canonico impedimento laborant, et quas irregulares vocamus. Quae irregularitas procedit vel ex *crimine* — vel ex aliquo *vitio* — vel denique ex *defectu.* Nunc laxata severitate antiquae Disciplinae, ea duntaxat *crimina* irregularitatem inducunt, quae infamiam afferunt: et criminosi hujus generis, quamvis ad poenitentiam admittantur, a S. C. ministeriis exercendis, et ab emittenda professione religiosa repelluntur.

Ex *defectu corporis* prohibentur ii, quorum deformitas admirationem movet.

Ex *vitio sanae mentis* illos irregulares habemus, qui haeretici, schismatici, apostatae nominantur; et donec in hoc statu perseverant, etiam sunt repellendi.

Quid dicendum de his, quorum pater avusque haeretici sunt, et haeretici decesserunt? — Quid de iis, qui *extra nuptias* nati sunt?

Tam *uni* quam *alteri* ex se respuuntur a plurimis ex Ordinibus Religiosis.

Tamen Superiores plerumque, praevio maturo examine super bonis moribus bonaque Postulan-

tium vitae ratione, honesta conditione, fama, educatione et laudabili scientia, nullaque alia censura esse irretitos, *preces* ad S. Sedem *remittunt* pro dispensatione et facultate eos in Claustrum recipiendi, et ad habitum regularem admittendi.

Et S. Congregatio considerans hujusmodi irregularitatem provenire EXTRA EORUM VOLUNTATEM — « benigne annuit *pro gratia* ad effectum de quo « agitur, *dummodo in Postulante coetera omnia requisita concurrant* ».

Tamen hi qui nati sunt ex toro minus legitimo, *sic recepti*, ad gradus, honores et dignitates sui Ordinis obtinendos perpetuo inhabiles, et illorum incapaces remaneant, nisi etiam super hoc cum eis fuerit auctoritate Apostolica specialiter dispensatum. Sixtus V. Const. Cum de omnibus ecclesiasticis Ordin. Edit. ann. 1587. Kalend. Decembr. — an. III. Pontificatus.

§. 4.us

De aetate Recipiendorum in Claustrum.

Plures sunt quaestiones, quae sub hoc titulo complectuntur, et sane non levioris solutionis.

Loquendum est enim de *Choristis*, de *Conversis*, vel *Tertiariis*, Oblatis, Donatis, Commissis, de *Servientibus*, denique de *Hospitibus*.

Principio enim quamvis Decretis Summorum Pontificum Innocentii X., Alex. VII. jampridem

editis; Clement. VIII. et Innocentii XII. semper praescripta, et Superioribus Ordinis commendata diligentia ac vigilantia quoad admissionem *Minorum* in Claustris: tamen a pluribus annis introducta fuit licentia recipiendi Adolescentes *laicos* non ut *Conversos*, sed ut Tertiarios, Oblatos, Donatos... recipiendi *Adolescentulos* Clericos *ad habitum* Probationis et parva veste in fraudem legis, et contra sanctiones canonicas.

Clemens Papa X. — ad extirpandos memoratos abusus — Decreto: *De non recipiendis intra Claustra tam Clericos quam laicos, edito die 16 Maji 1675* — « Praecepit in virtute Sanctae Obedientiae, omni-
« bus et singulis Superioribus Generalibus, Pro-
« vincialibus, et Localibus, quocumque nomine et
« titulo appellatis, *quorumcumque Ordinum ac Con-*
« *gregationum tam Mendicantium quam non Men-*
« *dicantium,* ut de coetero *neminem* pro Tertiariis,
« vel Oblatis, seu Donatis aut commissis, vel Ser-
« vientibus, nec pro Hospitibus, seu Postulantibus,
« vel Cantoribus aut alio quocumque nomine nun-
« cupatis, ac quovis habitu indutis, vel induendis,
« sub quovis praetextu, vel causa, aut quaesito co-
« lore recipiant seu admittant AD HABITANDUM intra
« Claustra *nisi Vigesimum aetatis suae annum* ex-
« pleverit, omnesque sic receptos, seu admissos
« (iis tantum exceptis, qui *completa aetate annorum*
« *quindecim* PRO CLERICIS, seu Choristis in habitu
« Novitiorum *annum* Probationis agunt) a *Mona-*
« *steriis* seu *Domibus Regularibus omnino amoveant,*
« et eiiciant intra terminum duorum mensium in-

« choandum a die intimationis praesentis Decreti
« faciendae Provincialibus eorumdem Ordinum et
« Congregationum in *Romana Curia* existentibus.
« Quod si praedicti Superiores praesenti Decreto
« *per omnia* non paruerint, aut aliqua ejus parte
« contravenerint, *poenam privationis dignitatum* et
« *officiorum*, quae tunc temporis obtinebunt, ac
« perpetuo inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum
« obtinenda, *vocisque activae* et *passivae* ipso facto
« absque alia declaratione incurrant. Non obstan-
« tibus, quoad omnia supradicta, privilegiis, indultis,
« et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibus-
« cumque ».

Ex relatis verbis clarissime expressis *duo* constituit Romanus Pontifex Clem. X.

1° Clerici seu Choristae non possunt recipi ad *habitandum* intra Claustra nisi completa aetate *quindecim annorum.*

2° Alii vero *Conversi, Tertiarii, Oblati, Donati, Servientes, Hospites, Postulantes* vel *Cantores*, aut quocumque alio nomine nuncupati... non possunt admitti AD HABITANDUM intra Claustra *nisi vigesimum aetatis suae annum expleverint.*

Quae verba, nulla certe indigent interpretatione.

Hisce positis veniamus ad casus particulares.

1° De *Choristis* — Choristae igitur non possunt recipi ad habitandum in Claustris nisi — *completa aetate annorum quindecim.*

Quid si habeant annos ex. gr. *quatuordecim?* Recurrendum est ad S. Congregationem, quae examinata informatione et voto P. Procuratoris

Genlis Ordinis, necnon Adolescentis qualitatibus, benigne permittit, ut Postulans recipiatur in Claustrum — « uti Chorista et non aliter; et si quan-« doque ad formalem probationem erit admittendus, « non prius admittatur nisi expleta aetate a Const. « Apost. et Ordinis praefinita; et in loco pro « Novitiatu designato — Decret. Clem. X. diei « 16 Maji 1675. coeterisque ».

2° *De Conversis.* — Conversi non possunt in Claustrum recipi nisi *expleverint aetatis suae vigesimum annum.*

Quid si habeant ex. gr. annos *decem* et *septem*?

Debent preces ad S. Congregationem mittere, informatione et voto P. Procuratoris G.lis comitatas: et S. Congregatio « benigne annuit pro petita *rece-« ptione* in Claustrum, uti *Conversi* et non aliter: « et si quandoque ad formalem probationem erint « admittendi, non prius admittantur, nisi expleta aetate, ut in Clericis.

Quandoque Superiores petunt facultatem pro recipiendo aliquo numero Conversorum, qui aetatem praescriptam non habent. Et S. Congregatio precibus annuit, *dummodo expleverint saltem decimum sextum, vel septimum annum* et cum iisdem conditionibus.

Sic de *Tertiariis*, et *Donatis*, qui comparantur Conversis.

3° De *Oblatis* et *Educandis.* Si Oblati et Educandi aetatem *Vigesimi anni completi* non attingant, ipsi quoque debent supplicem libellum ad S. Congregationem proponere, quae more solito benigne excipere solet — « dummodo Oblatus et Educandus

« pernoctet in cubiculo separato a communi Dor-
« mitorio; quies Religiosorum non turbetur: oeco-
« nomia Conventus detrimento non patiatur: neque
« oriantur scandala; super quibus Superioris localis
« et ejusdem Oblati, aut Educandi oneratur con-
« scientia ».

4° *De Collegio Educandorum.* Nonnulli ex Superioribus Ordinum, causa educandi Adolescentes ad bonum Ecclesiae, Societatis et Religionis, instituunt *Collegia:* et quia intra Clausuram existunt, licentiam a S. Congregatione exquirunt. Quae Congregatio, facultatem tribuens, statuit — « ut huius-
« modi Adolescentes saltem *decimum quartum* an-
« num (extraordinario *duodecimum*) aetatis exple-
« verint; sint sub cura Religiosi viri moribus atque
« aetate gravis: a Novitiis et Professis separati
« vivant: atque adhibeantur coeterae cautelae ne
« scandala oriantur — Decreto Clem. X. diei
« 16 Maji 1675. coeterisque contrariis non obstan-
« tibus ».

5° De *Inservientibus.* Etiam in Religiosorum domibus sunt famuli necessarii, ad quos custodia et servitium sive Conventus sive Ecclesiae spectat. Sed plerumque minores inveniuntur pro quibus necessaria est dispensatio. Hanc autem S. Congregatio — « benigne concedit arbitrio et conscientiae
« P. Provincialis, ita tamen, ut ibi memorati Iu-
« venes pernoctent in cubiculo separato a communi
« dormitorio; quies Religiosorum non turbetur;
« neque oriantur scandala, super quibus Superioris
« localis, et ejusdem Iuvenis oneratur conscientia ».

6° De *Hospitibus* — Domus Religiosorum aliquando, vel in montibus existunt, vel a Civitate et pagis plurimum distant: plerumque, ut accidit, Viatores, nocte veniente, in illis pernoctare desiderent; sed saepe saepius a minoribus sunt comitati, et Superiores, hac experientia edocti, a S. Congregatione licentiam petunt eos posse intra Claustra recipere: quae « *solet indulgere ad Triennium, et* « *adhibitis cautelis ne scandali occasio detur* ».

Heic exorta est quaestio, utrum in casu necessaria sit huiusmodi S. Sedis licentia? Nonnulli Doctores eam denegant, quia agitur de tempore parvo, et quandoque de horis; sed, sit venia verbo, talis responsio non est in veritate. Namque quod prohibitum, est semper prohibitum etiam in *ictu* temporis: ius enim et ordinatio non dividuntur.

Sane, Clem. X. in cit. Decr. loquens etiam de *Hospitibus* inquit, ad *habitandum* in Claustris non esse recipiendos, quovis habitu indutos, vel induendos, sub quovis praetextu, vel causa, aut quaesito colore se exhibeant nisi *vigesimum* aetatis suae annum expleverint — quod si lex limitationem aliquam, vel exemptionem inducere vellet, verbis exprimeret: et quod non est expressum, incivile est legislatoris menti addere, ejusque claram, clarissimam voluntatem subtili interpretatione obumbrare. Namque in re de qua agitur, ingenii vexatio potiusquam utilitatem afferre, damnum et inobedientiam inducit: quam S. Congregatio *per saecula* experiri non *debuit*.

Defectui aetatis saepe saepius opponitur et *ex-*

cessus. Omnes sane Ordines Regulares in regulis respectivis tempus determinatum constituunt, intra quod Postulantes recipere in Claustra habeant: quid si ipsi hanc aetatem excesserint? Tunc eadem S. Congregatio, praevia informatione et voto Superioris, dispensare consuevit — « *dummodo caetera omnia* « *requisita in praefato Postulante concurrant* ».

§. 5.us

Quid si Superiores receperint in Claustrum Postulantes ante aetatem a Decretis pontificiis statutam?

Idem Clem. X. loc. cit. prosequitur: « *omnes* « *sic receptos,* seu admissos, a Monasteriis, seu « Domibus Regularibus Superiores omnino amo- « veant et ejiciant... *poenam interim privationis di-* « *gnitatum et officiorum quae in actu obtinent, ac* « *perpetuae inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum* « *obtinenda, vocisque activae et passivae ipso facto* « *absque alia declaratione incurrant* ».

Ast Sedes Apostolica hisce in frequentibus casibus benigne agit: supplicibusque libellis benevole indulget — « praevia absolutione a poenis, a Su- « perioribus, ob praemissa, incursis — et sanatione « quoad singulos actus usque adhuc quomodo- « cumque initos — eos ad officia restituit: et recep- « tiones, de quibus agitur, in radice sanat atque « revalidat ».

Neque illis bona fides, quam ultro deducunt, posse suffragari videtur; nam *legem* ignorare non permittitur, praesertim iis qui ex officio eam scire debent: minus autem reiicere S. Congregationis monita coram ipsis non raro prolata.

§. 6.us

De Scrutiniis servandis in admissione Postulantium ad habitum.

Pius Papa IX. in Decr. *Regulari Disciplina* 25 Jan. 1848. in prima parte — de lege servanda in *Probandis* Religiosum *habitum* postulantibus, sequentia edixit:

1° « Nemo ad habitum recipiatur in quo-
« cumque Ordine nisi duplici *scrutinio* —

Ad effectum.

2° « In qualibet Provincia habeantur *octo*
« *Examinatores*, scilicet Provincialis et septem alii
« idonei ac probatae vitae Religiosi a Capitulo seu
« Congregatione Provinciali eligendi.

IV. Si ob pauciorem Religiosorum numerum
« *septem* Examinatores eligi nequeant, saltem *qua-*
« *tuor* eligantur.

« VI. Septem autem *Examinatores*, vel *quatuor*,
« uti supra, a Congregatione Generali eligendi, con-
« stituant *Generale Scrutinium* ».

Quid vero agere, aut quomodo se gerere debeant *uni* et *alteri Examinatores* in utroque scrutinio, videant humanissimi Lectores in praefato De-

creto, in quo omnia mirabili ordine et perspicuitate sunt declarata: interim nos tres proponimus quaestiones:

1° Quid si *unus* vel *plures* Examinatores tempore officii ex hac vita decedant; vel a praefato munere se dimittant — quomodo ad eorumdem electionem procedendum erit?

2° Quid si procul a Domo Scrutinii commorantur?

3° An Superior Gentis, qui secundo scrutinio praefuerit, ex iustis et rationabilibus causis *Candidatum* reiicere possit, quamvis ab Examinatoribus in utroque scrutinio approbatum?

An eum admittere possit, qui fuerit ab Examinatoribus reprobatus?

Ad *primam quaestionem*, quae saepe saepius proposita est in Congregatione ab interesse habentibus, respondemus referendo decisionem existentem in declarationibus super Decreto — *Regulari Disciplinae* — apud Bizzarri in sua Collectanea, Pagina 893.

Scilicet: Servetur methodus in cit. Decr. art. III. et IV. in fine et art. VII. praescripta pro electione Examinatorum, qui eligendi erunt statim post latum idem Decretum, et ante celebrationem proximi futuri Capituli, vel Diaetae. Examinatores sic electi in officio perdurent usque ad celebrationem proximi Capituli, vel Diaetae. Quae methodus etiam servetur, quando ex S. Sedis dispensatione, Capitula vel Diaetae non celebrantur, et electio Superiorum per Decretum S. Sedis, vel per schedas fiat.

Ad *secundam vero quaestionem* satisfit, considerando — quod eo modo quo Provincialis ad peragendum examen personale Postulantis, cum vel ob loci distantiam, vel ob aliam rationabilem causam, ipsum ab accessu personali dispensare iudicaverit, valeat deputare pro dicto examine Religiosum sui Ordinis, quem in Domino idoneum revera existimaverit — Examinatori qui *procul a Domo scrutinii* commoratur, ex justa causa, substituere posse videtur alium Religiosum virum quem sibi constat esse idoneum. Prudens tamen consilium erit rem deferre ad S. Sedem, et ab ea excipere dispositiones

Ad tertiam quaestionem denique responsio habetur in art. XII. primae partis Decreti, in qua sancitur, Superiorem Generalem, qui praefuerit scrutinio, posse *Candidatum* ex iustis et rationabilibus causis, *reiicere*, licet fuerit ab Examinatoribus in utroque scrutinio *probatus:* NUMQUAM vero *admittere* eum, qui fuerit ab Examinatoribus *reprobatus*.

Qui casus plerumque solent evenire; et S. Congregatio virtuti et obedientiae Examinatorum ac Generalium concordiam commendat.

Caput Tertium

§. 1.us

De admissione Postulantium ad Novitiatum.

Cum formalis probatio sit principium et fundamentum vitae perfectioris, ea adamussim facienda est ad tramites Apostolicarum Constitutionum, et juxta Pontificias Ordinationes.

« Nemo enim in primis, ait Clemens VIII. (in « Decretis Generalibus: De Reformatione Regula- « rium) ad Novitiatum admittatur *nisi in Conventi-* « *bus per Sedem Apostolicam in qualibet Provincia* « DEPUTANDIS », et in Decreto: *Cum ad Regularem Disciplinam* - concludit: « non censeri concessam « licentiam recipiendi Novitios, *nisi in locis pro No-* « *vitiatu designatis, aut in posterum designandis,* « *et* PRO NUMERO *in eorum singulis praescripto aut* « *praescribendo* ». Ibique, inquit Conc. Trid. Sess. 25. de Regularibus Cap. XV. - PER ANNUM *in probatione maneant Novitii.*

Qui *annus Conciliaris* est vere *Annus Canonicus;* non confundendus cum *Anno probationis* a nonnullis Ordinibus requisito, qui nuncupari solet *Annus Constitutionum:* et designat *secundum annum Novitiatus.*

Nunc quaerendum est utrum praedictus probationis *annus*, vel *anni* possint quandoque dispensari ?

Primum notandum, in illis Ordinibus, in quibus *duo* sunt *anni Novitiatus*, *numquam* dispensari solet *annus canonicus*, sed tantum, ex rationabili causa, remittitur *quaedam pars anni Constitutionum*, et hujusmodi *dispensatio* fit: « ea expressa lege, ut « Novitius servatis coeterum de jure servandis, « in actu emittendi Votorum Simplicium profes- « sionem, de praesenti indulto se uti velle ipse de- « claret voce et scriptis ».

Quid si agatur de Ordinibus in quibus tantum *annus Conciliaris* habetur ?

Tunc difficilis est dispensatio: et si quando propter peculiares circumstantias ad dispensationem devenitur, ratio gravis, necessitas impellens, et Ecclesiae utilitas concurrere debent.

Plerumque Superiores a Sede Apostolica instanter petunt dispensationem a parte Novitiatus pro *Adultis*, qui jam provecti Claustrum ingressi sunt, deducentes praesertim eorum *aetatem*.

Sed S. Congregatio experientia mota, resistit his precibus, gratiam denegans; quia pro *Adultis* magis magisque est probatio requirenda quam pro Adolescentibus, et causa evidens est. Siquidem educatio et habitudo in homine alteram efformat naturam, quam difficile est totaliter immutare post diuturnum tempus: pro adolescentibus autem vel paritas non obstat, vel leviter obstat.

§. 2.us

De Magistro Novitiorum ejusque Socio.

Exitus felices Novitiatus sunt praesertim hauriendi ab observantia regulari, laudabili disciplina, et obedientia, sine limitatione, legibus et Superioribus.

Quae omnia magis magisque a Magistro Novitiorum dependent. Unde Clem. VIII. in Decreto — *Cum ad Regularem Disciplinam* — praecepit quod Novitiorum Magister sit, inter Religiosos, Sacerdos gravis, devotus, regularis vitae cultor, charitate, morumque suavitate praeditus, in aetate *triginta quinque annorum*, et qui per *decennium* ante *professionem* emiserit.

Soli Magistro enim tributum est eorumdem Novitiorum confessiones auscultare; liceat tamen superiori locali etiam, si ita expedire judicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, *semel*, aut *bis in Anno* eorumdem Novitiorum Confessiones audire.

Ad ipsum Magistrum *tantum* spectat plenam et absolutam potestatem circa Novitiorum institutionem, et Novitiatus regimen; ac nemini praeter Visitatores et Superiores Maiores in iis sese ingerere licet.

Prae primis siquidem curare debet, ut Novitii Regularem Disciplinam observent; oratione men-

tali et vocali se exerceant; Sacramenta frequentent, aliaque ad perfectionem conducentia, rigidissime adimpleant.

Accidit plerumque, ut in Ordine, praesertim hisce temporibus, adsint Viri Religiosi omni exceptione maiores; notatis praediti requisitis; sed vel *aetatem triginta quinque annorum* non expleverint, vel professionem *decennalem* non habuerint.

Tunc Superiores solent super his dignam dispensationem implorare « quam S. Congregatio be-« nigne indulget, attentis *peculiarium rerum* adiunc-« tis; et dummodo in Religioso caetera omnia re-« quisita concurrant ».

Ne autem vigilantia, et sollicitudo in re numquam deficiat, adiungendus est Magistro Novitiorum *Socius* sive *Sub-Magister*, moribus, vita et doctrina illi consimilis. Pro eo tamen requiruntur *triginta* aetatis *anni*, super quibus etiam aliquam dispensationem S. Sedes quandoque indulgere solet. Ipse praeterea immediate *subjectus* esse debet Magistro.

Tam Magister quam Socius eliguntur per Capitulum Provinciale *ad triennium:* et extra tempus, data necessitate, eorum electio fit per Superiorem Generalem, de consensu tamen Definitorum, graviorumque Patrum.

Denique sive *Magistro* sive *Socio omnia prohibentur officia, quae cum cura et Novitiorum regimine minime convenire videntur.*

Aliquando, deficientia personarum, *idem* Religiosus *Magister Novitiorum* a Capitulo vel a Ge-

nerali renunciatur Prior Conventus, Parochus, aut alius Superior.

Tunc S. Congregatio « instantibus Superioribus, « super incompatibilitate dispensat - *dummodo* prae- « fatus religiosus utrumque officium sedulo adim- « plere possit ».

Superiores tamen quamprimum necessitatibus Conventus providere conentur.

Et merito, namque, ex dictis, constat Novitiorum *Magistrum* et *Socium* ex lege originem ducere: eorumque exercitium ex *legitima electione* per Capitulum peracta, vel extra tempus, per Generalem de consensu Definitorum, et gravium Patrum, provenire: ideo planum est nemini licere illos subrogare, *nisi per alios consimiles*. - Idem Clem. VIII. in cit. Const. Ad Regularem.

§. 3.us

Utrum tempore Novitiatus Studiis litterariis vacare possint Novitii?

Inter munera Magistri Novitiorum illud praecipuum est, quod continuo cum suis Educandis materialiter extet. Jam vero si *unus* ex his studio incumbat in Scholis, *alter* orationibus in Ecclesia, tunc impossibile est Magistro utrique advigilare.

Hinc S. Congregatio petitionibus, hoc in sensu exhibitis, indulgere recusat; praesertim si agatur de Novitiatibus juxta sanctiones canonicas constitutis.

Jam vero aliquando pro unoquoque vel altero Postulante permittitur *formalis probatio*, attenta necessitate Religionis, *in loco pro Novitiatu non designato*, et tunc quamvis Postulanti concedatur, expressa conditione « ut ipse sit sub cura Religiosi « Viri moribus atque aetate gravis; omnia adim« pleat, quae a Constitutionibus Apostolicis et Or« dinis pro institutione et educatione Novitiorum, « statuta sunt »; tamen, per exceptionem, interdum ei licentia confertur, ut interim alicui studio peculiari operam tribuat; *dummodo Disciplinae observantia nulli subsit detrimento.*

§. 4.us

Utrum tempore formalis probationis Novitii transferri possint de una ad alteram Domum?

Vidimus jam quanta sit sollicitudo Clementis VIII. in institutione et exacta observantia Novitiatus: vidimus etiam tempus Novitiatus *cursum agere de die in diem, de hora in horam;* hinc si in *Anno*, vel *Biennio* formalis probationis *dies* vel *ora* deficiet, dici nequit tempus Novitiatus, in sensu legis, esse *integre* confectum: vidimus denique Novitiatum esse in determinato Conventu *designatum*, et intra ejus Clausarum Novitios continuo commorari oportere.

Ex quo factum est, ut si Novitii de *una* ad *alteram Domum* transferantur, Novitiatus *interruptus*

esse censetur. Unde Superiores ad hujusmodi vitandam *interruptionem* a S. Sede facultatem implorant; quam S. Congregatio concedit « *constito* « *de rationabili causa,* et dummodo *Juvenes Pro-* « *bandos comitentur Superiores.* »

Hinc alia exurgit disquïsitio:

An praedicti Novitii, qui in *prima* Domo *novitiatum* inceperunt, possint in *altera* prosequi eum et complere?

Si constat quod, in secunda Domo, sit etiam Novitiatus canonice erectus; tunc Summus Pontifex indulget « pro gratia translationis, atque pro facul- « tate inibi prosequendi et complendi Novitiatum, « dummodo in ea omnia et singula compleant No- « vitii, quae a Constitutionibus Apostolicis et Or- « dinis, pro institutione et educatione Novitiorum « statuta sunt ».

Quaeritur secundo: utrum absque licentia S. Sedis possint Novitii ante civilem auctoritatem sistere etiam a Superioribus comitati, et per unam noctem extra Claustra permanere?

Negative respondendum, ne, etiam in casu, vera Novitiatus interruptio habeatur. Romani Pontifices sane hanc facultatem sibi reservarunt, et de ea de die in diem usi sunt.

Plerumque Superiores nonnulli hanc proposuerunt doctrinam, nempe: *Si interruptio fiat* EX LEGITIMA CAUSA, ipsis liberum esse ad professionem admittere Novitios *sine praevia Sanatione interrupti Novitiatus* a Sede Apostolica consecuta.

Neminem latet hanc doctrinam esse erroneam;

namque *justa* ac *legitima* causa non confert Superioribus ullam in re auctoritatem; sed tantum inducit S. Congregationem ad *dispensandum*, quod certe non indulgeret, si causa *illegitima* aut *injusta* esset.

Quapropter Superiores non pauci - vel *antea* facultatem petunt a Summo Pontifice, uti notavimus; vel postquam redierint *juvenes Probandi* a militia *Sanationem* expostulant; et S. Congregatio « benigne « annuit pro petita Sanatione interrupti Novitiatus, « adeo ut Novitius, de quo agitur, expleto formalis « probationis anno - *non comprehensis diebus ab-* « *sentiae* - licite ac valide, servatis coeterum de « jure servandis, admitti possit ad Votorum sim- « plicium Professionem; in cujus actu de praesenti « indulto se uti velle ipse declaret voce et scriptis ».

Quaeritur 3. An praefati Novitii a militia reversi illico admitti possint ad Professionem?

Negative quoque esse respondendum. - Namque Leo Papa XIII. in literis diei 27 Nov. 1892, n. 5. praecipit eos ad *Solemnem Professionem* et ad Ordines Sacros non esse admittendos, nisi post *annum* a die reditus a militia computandum, et dummodo eorum Sancta vocatio adhuc perseveret.

Quaeritur denique 4° - An *Conversus Novitius* possit a Statu laicali ad Clericalem transire?

Clemens VIII. in cit. Decreto, *hunc transitum* prohibet - tamen si ex informatione P. Procuratoris Generalis constet de ejus idoneitate ad scientiam, de bonis moribus, et vitae perfectioris desiderio, *indulgetur* pro gratia - dummodo Novitiatum uti

Clericus repetat: « quo expleto, de consensu Reli-
« giosorum, inibi de familia, Professionem Votorum
« Simplicium inter choristas emittat, - servatis in-
« super in reliquis omnibus et singulis de jure ser-
« vandis, et praesertim quae continentur in Decretis
« S. M. Innoc. X. editis die 15 Octobris 1654. -
« Ineligibilis tamen remaneat ad Ordinis Praelatu-
« ras absque praecedenti S. Sedis dispensatione ».

§. 5.us

Quid agendum expleto anno vel biennio Novitiatus?

Concilium Tridentinum Sess. XXV. De Regularibus, Capit. XVI, ait: - « Finito tempore Novi-
« tiatus, superiores quos habiles invenerint, *ad pro-*
« *fitendum* admittant, aut e Monasterio eos *ejiciant* ».

Merito sane, quia, si idonei non sint, potiusquam aliis praebeant exemplum virtutis, scandala eis afferunt, et admirationem inducunt.

Qui vero pro Electis habentur, praecipit Clemens VIII. *in Decretis de Receptione et Educatione Novitiorum:* « ut in bono spiritu, ac regula-
« ris disciplinae observantia stabiliantur et con-
« firmentur, post emissam Professionem statim
« collocentur *in* PROFESSORIO, quod est locus a No-
« vitiatu distinctus et segregatus, *constans tamen*
« *requisitis, quae pro Novitiatu jam sunt relata.*
« Ita quod in Negotiis Monasteriorum aut Conven-
« tuum non se intromittant; neque alicuius exte-

« rioris obedientiae officia exerceant: ibique per-
« maneant quousque ad aetatem Sacris Ordinibus re-
« cipiendis sufficientem deveniant, vel saltem *per*
« *Triennium* post Professionem: quo etiam tem-
« pore poterunt, quinimo et debebunt litterarum
« studiis operam navare, *sub directione ac regi-*
« *mine Superioris*, QUI EAS QUALITATES HABEAT, qui-
« bus *Novitiorum Magistrum* praeditum esse opor-
« tere dictum est. »

Unde patet resoluta alia quaestio proposita a nonnullis Provincialibus, utrum Magister « aut Superior PROFESSORII *eamdem aetatem* habere debeat, quae requiritur in Magistro Novitiorum » — namque, si *Superior Professorii* (ex. Clem. VIII.) debet possidere EASDEM QUALITATES quibus *Novitiorum Magistrum* praeditum esse oportere - ergo et *eamdem aetatem.*

Quid si praesentibus temporum adjunctis *Professorium* Religiosis deficiat?

Si Monasterium vel Conventus Professos excipere non valeat, in alium commodiorem Conventum aut Monasterium transferantur; in quo locus cum requisitis ad *secundum Novitiatum* aptis reperiatur, vel accommodetur, aut de novo construetur. Quod si ne hoc quidem fieri possit, in ipsis Conventibus et Monasteriis, pro formali probatione assignatis, locus est eligendus; et ibi *Professorium* constituendum, distinctum tamen et segregatum a Novitiatu.

In hisce autem circumstantiis S. Congregatio Superiorum precibus benigne assentiri consuevit,

ea tamen conditione, ut *quam citius fieri poterit, necessitatibus enarratis ipsi providere conentur.*

§. 6.us

Quid faciendum si, elapso triennio in Professorio, Postulantes nondum Vota Solemnia nuncupaverint?

Vocatio ad Statum religiosum est donum Dei, cuius explicatio quandoque retardari videtur.

Hinc Pius Papa IX. legem Votorum Simplicium sapienter edixit (de qua suo loco sermo erit), indulgens Superioribus Provincialibus, ex iustis et rationabilibus causis, professionem *Votorum Solemnium* differre; non tamen *ultra aetatem annorum viginti quinque expletorum*: Decret. ad Universalis Ecclesiae regimen. 7. Febr. 1862. — et in hoc casu est recurrendum ad S. Congregationem, quae — *dilationem ad annum facile concedit.*

Tempore vero sive Novitiatus, sive Professorii licitum ne est superioribus Juvenes Probandos reiicere sine causa?

Huic propositioni forsitan Lectores vel veritatem negant, vel melius probabilitatem minus concedunt. Nihilominus quod verosimile non est aliquando in veritate fundatur.

Siquidem in Claustris, inter Iuvenes postulantes et Religiosos aetate provectos, incidentia interdum exurgunt, (et quomodo in multitudine gentium evi-

landa?) quae controversiis neque levioribus locum faciunt; et Superiorum judicium aliquando exhibet dubium super sua integra libertate.

Hinc S. Congregatio, quamvis prudenter se gerat, tamen praevio maturo examine, nisi iustae ac legitimae interveniant causae, Probandorum expulsionem, vel dimissionem inficiatur omnino.

Neque ex hoc debent Superiores diminuere in subditos vigilantiam, correctionemque; nam Praelatorum officium sedulo et laudabiliter exercetur, cum, eius sollicitudine, litis et contentionis occasio removeatur, in utile exemplum Religiosorum, augmentum observantiae, et bonum Ecclesiae.

LIBER SECUNDUS

DE PROFESSIS

CAPUT PRIMUM

De Professione.

§. 1.us

Quid Professio Religiosa, et quotuplex?

Neminem latet in primis illud effatum: *Professio regulae facit aliquem Regularem.* Haec professio erat vel *tacita* vel *expressa: prima* eruebatur ex perspicuis certisque indiciis; *secunda* vero ex *solemni actu* quo quis, ad formam juris, *sponderet* probatam electamque religionem, ejusque regulas servaturus.

Hodie loquendum non est de *tacita,* quia Pius IX « 12 Junii 1858 » in declarationibus super *Encyclicis Litteris,* diei 19 Martii 1857. Art. XI. *voluit illam omnino abrogatam:* hinc tantum *de expressa* haeic sermonem habemus; et dummodo sit valida, ac ad tramites Constitutionum Apostolicarum, et Ordinum peracta.

Dividitur Professio in simplicem et solemnem-

Simplex dispertitur in *temporaneam* et *perpetuam.*

Temporanea dicitur cum ad *annum*, *Triennium* etc. emittitur, ut in nonnullis hodiernis Institutis, *titulo experimenti.*

Perpetua habetur cum sive *ex parte Voventis,* sive *ex parte Ordinis* vel *Instituti*, sive natura sua, *perpetuitatem* continet; uti in dictis hodiernis Institutis cum *definitive* ad Religionem quamdam Postulans (servatis omnibus et singulis a Constitutionibus Apostolicis et Ordinis requisitis) admittitur.

Quid de *Professione simplici* praemittenda ad Professionem *solemnem?*

Pius Papa IX *in Litt. Encyclicis de Votorum Simplicium Professione, 19 Mart. 1857.* occurrere volens malis quae, ex deficientia vocationis in Postulantibus, evenire Ordinibus solent, statuit atque decrevit « ut peracta probatione et Novitiatu ad prae« scriptum *S. Conc. Trident. Const. Apost. et* « *statut. Ordinis a S. Sede approbat. Novitii vota* « *simplicia* emittant postquam expleverint aetatem « annorum sexdecim ab eodem Concilio statutam, « vel etiam majorem, quae forsan a statutis proprii « Ordinis a S. Sede approbatis, requiratur: et quoad « *Laicos* et *Conversos* postquam ad eam pervenerint « aetatem, quae in Const. Clem. VIII. incipien. *in* « *Supremo* - praefinita est.

« Professi post *Triennium* a die, quo *Vota Sim*« *plicia* emiserint, computandum, ad *Votorum So*« *lemnium* professionem admittantur ».

Et in declarationibus datis 12 Junii 1858. n. 1° ait

idem Summus Pontifex: « Vota Simplicia de quibus « agitur, *perpetua* erunt *ex parte voventis*, utpote « quae tendunt ad *emittenda* deinde *Vota Solemnia*, « in quibus perfectionem et complementum acci- « piunt ».

Ex quibus constat: *professionem simplicem* praemittendam Votis Solemnibus in Ordinibus antiquis, et auctoritate Apostolica jamdiu constitutis, et approbatis, gaudere quadam *perpetuitate a parte Voventis*. Ex quo clare patet non posse *pro lubitu* superiores dimittere ab Ordine Novitios.

Nunc ad PROFESSIONEM SOLEMNEM. *Professio solemnis* est *perpetua* tum ex parte Voventis, tum ex parte Ordinis, et per consequens inter utrumque quidam contractus bilateralis intercedit, qui indissolubilis se exhibet.

§. 2.us

Quando Professio sive Simplex, sive Solemnis sit illicita vel invalida?

Ut Professio, generatim loquendo, vim suam habeat, fieri debet ad tramites juris, et post *exactum formalis probationis tempus* — praevia legitima receptione juxta Constitutiones Ap.licas et Ordinis — et praemisso Novitiatu in Conventu a S. Sede designato.

Quae tria utrique professioni, sive simplici sive

solemni, sunt necessaria, earumque *validitatem* concludunt. Sin vero *accidentalia* deficiant, *illicitatem* constituunt; uti ex. gr. defectus litterarum testimonialium.

Iam vero si quid in relatis requisitis desideratur, tunc ad S. Congregationem est recurrendum, quae justis et rationalibus causis pro dispensatione, quatenus fieri poterit, indulget.

Ast loquens summus Pontifex Pius Papa IX. de Professione *Solemni* in Const. *ad Universalis* die 7 Februarii 1862. sic refert, statuit et decernit — « Verum nuper agnovimus aliquos Novitios, prae« termissa professione votorum simplicium, ad vota « solemnia nuncupanda admissos fuisse, et exinde « circa dictorum *Votorum Solemnium validitatem*, « gravia dubia suborta esse. Nos igitur cupientes « in re tanti momenti omnem ambigendi causam « removere, motu proprio et certa scientia, deque « Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, quoad « religiosas virorum familias cujuscumque Ordinis, « Congregationis et Instituti, in quibus *Vota So« lemnia emittuntur*, Statuimus ac decernimus NULLAM « *omnino* IRRITAM, et NULLIUS ROBORIS fore PROFES« SIONEM VOTORUM SOLEMNIUM, tam scienter quam « ignoranter, quovis modo, praetextu et colore *factam* « a Novitiis quibuscumque etiam *laicis* et *conversis*, « qui licet probationem et novitiatum prout de jure « expleverint, NON EMITTANT *prius* PROFESSIONEM VO« TORUM SIMPLICIUM, et in ea PER TRIENNIUM INTE« GRUM *non permanserint*, quamvis vel a Superio« ribus, vel a Novitiis, vel ab utrisque intentio

« habeatur respective emittendi Vota solemnia, et « ad ea recipiendi, ac omnes ritus adhibeantur ad « Votorum solemnium professionem praescripti ».

Ergo non praemissa Professione simplici ante professionem solemnem, *professio solemnis* est *irrita* et *nullius roboris.*

Ex quo *tres* quaestiones oriuntur:

1° An Congregatio *possit* dispensare a *Professione simplici* ante professionem *solemnem?*

2° An soleat dispensare?

3° Quomodo se gerat cum agatur de Religiosis extra Ditionem Italiae praesertim, qui tempore jam acto « tamen post relatam legem » *tantum Vota solemnia* sunt nuncupati?

Romanus Pontifex uti *auctor legis* potest revera ei derogare; nihilominus non derogat. Et S. Congregatio, quae semper agit nomine Pontificis, supplicibus libellis ad hanc dispensationem obtinendam oblatis, assensum praebere recusat.

In casibus vero ordinis socialis, uti in 3ª proposita quaestione, ad majora mala evitanda, Professiones solemnes *sic peractas* sanat *in radice:* et jubet « Decreti transumptum a Superiore Generali « executioni demandatum, in Archivio secreto Or« dinis asservari: cujus exemplar authenticum in « secreto archivio Provinciae quoque custodiri ».

Quod si agatur de Professionibus illicitis vel invalidis SINGULARITER *exceptis,* vel ex defectu regularis receptionis; aut illegitimi Novitiatus, vel alterius justae rationis « praevia absolutione Supe« riorum quos attinet a censuris ecclesiasticis; et

« confirmatione actuum omnium hoc tempore ab « iisdem initorum, praefatas *Professiones* S. Con- « gregatio sanat atque revalidat, *dummodo in Re-* « *ligiosis consensus adhuc perseveret* ».

Si vero consensus non perseveret, tunc vel agitur de professione *simplici illicita* aut *invalida,* et illico dispensatur; ita ut Postulans ad statum *quo ante* liberum reverti valeat.

Vel sermo sit de Professione solemni *invalida,* et tunc ad normam *Benedictinae* — SI DATAM HOMINIBUS — *tempore* tamen *utili*, in Plenaria EE. et RR. Cardinalium Congregatione declaratio provocatur; sed si *utile tempus, pro respectiva disputatione* jam processit, restitutionem in integrum implorare concessum est.

Sed inquit Pius Papa IX. « *Professus votorum simplicium* permanere debet per *Triennium* integrum ante Professionem *Solemnem.* — Hinc quaeritur: Quid agendum si ad *Ordines sacros* INTERIM Postulans ascendere desiderat?

Ad Summum Pontificem est Recurrendum, qui — *dummodo in eo coetera omnia requisita concurrant* — per *decem* et *octo* menses dispensat — « ut « ad majores Ordines, ipse ante solemnem Pro- « fessionem licite promoveri possit, servatis tamen « decretis S. Concilii Trident. Sess. XXIII. de Re- « formatione, aliisque servatis de jure servandis ».

Dicitur — *dummodo in eo coetera omnia requisita concurrant* — Namque ex Decreto: *Auctis Admodum* 4 Novemb. 1892. eruitur: professos ad Sacros Ordines admitti non posse — « si saltem

« per *annum* S. Theologiae operam non dederint, « si agatur de *Subdiaconatu;* ad minus per *Biennium,* si de *Diaconatu;* et quoad *Presbyteratum,* « saltem per *Triennium* »; sed etiam hic dari possunt dispensationes, attenta necessitate et utilitate Ecclesiae, et dummodo Superiores declarent, *Ordinatos* deinde cursum Theologiae adamussim complere.

§. 3.us

Quaenam sunt constitutiva

Professionis tam simplicis quam solemnis?

Praeter peculiarem regulam, quam Religiosi profitentur, *tria Vota* substantialia emittere debent, nempe: Votum *Obedientiae,* Votum *Castitatis,* denique Votum *Paupertatis;* et sine his neque Professio intelligitur: consequenter de iis diffuse est tractandum; sed inferius.

Praeter *relata Vota* sunt nonnulli Ordines, qui et alia quaedam particularia promittunt; sic in Ordine S. Joannis de Deo, emittitur votum infirmis in Hospitalibus adsistendi; in Ordine S. Camilli de Lellis, votum infirmis ministeria impendendi; in Ordine S. Josephi Calasanctii, puerulos pauperes instituendi et rudes ad pietatem conducendi, etc.

Nunc quaeritur, *quartum* hoc Votum attingit necne *substantiam* Professionis?

Si agatur de Constitutionibus Apostolicis videtur

quartum Votum minime substantiam Professionis attingere; quia ipsa in tribus Votis relatis consistit.

Si vero sermo sit de *Constitutionibus specialibus uniuscujusque Instituti*, puto revera substantiam Professionis attingere; namque hujusmodi *additio* est antecedens, et substantialiter vincit Profitentis intentionem.

Potest sin minus dispensari?

Negative — quia, pro Statutis a Religioso juratis, aliquod unum constituit cum coeteris votis; unde illo deficiente, alia deficiant recesse est. Id autem juxta normas, casus et modum superius relatum. Hinc si dispensandum a *quarto Voto*, sunt eodem tempore, et alia relaxanda; saltem quoad *accidentalia.*

Ex quo deducitur, ut, si quis ex hujusmodi Religiosis evectus fuerit ad Episcopatum, dispensatur, vel melius suspenditur *perseverantia* illius Voti eodem modo quo et alia vota; sed circa substantiam, ita remanent, ut in casu, quo ad Ordinem redeat *Promotus, vota* reviviscant. Unde si Episcopus ex. gr. acquirere vel disponere de suis rebus velit, licentiam ab Apostolica Sede consequi debet. Et S. Congregatio, hoc in casu, *gratiae* usum conscientiae ipsius Episcopi remittit, potius quam Ordinis Superiori.

Caput Secundum.

De Voto Obedientiae

§. 1.us

In quo consistat Obedientiae Votum?

Tria potissimum in Monachorum Obedientia desiderat S. Benedictus; Reg. Cap. V. apud Holsten. Codic. Regular. n. 2. pag. 118. Edit. Aug. Vindelic. an. 1759, scilicet: ut Monachi pareant suis Praepositis — *sine mora* — *non tepide* — *et cum bono animo.*

Hinc S. Bernardus: obedientia, inquit, legem *nescit,* terminis non arctatur; neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis.

Ex quo communiter dicitur: *Religiosos propriam abdicare voluntatem.*

Quae vero *abdicatio* respicit professionem tam Simplicem quam Solemnem.

Ex hoc capite Religiosus a Superioribus pendet, sive agatur de rebus quae ejus personam respiciunt, sive de his quae attingunt Communitatem.

§. 2.us

De rebus quae respiciunt Religiosi personam.

Siquidem Religiosi a Constitutionibus idoneitatem habent ad *vocem activam* et *passivam;* sed earum exercitium a Superioris declaratione dependet: et si aliquod requisitum ei deficiat ad illam exercendam in Capitulis Conventualibus, Provincialibus, vel Generalibus, Superior S. Congregationem petit pro dispensatione et habilitatione, quam benigne concedit — *dummodo inter Confratres nulla detur contentionis occasio.*

Quandoque Religiosus, expletis Studiis theologicis, lauream doctoralem desiderat; ast Superior ejusque Capitulum, consideratis praesentibus rerum adjunctis nequit, juris ordine servato, Postulantis voluntati satisfacere: tunc S. Congregatio licentiam concedit — *salva praecedentia eorum, qui jure tales sunt.*

Sic dicendum de Religiosis qui Ordinis optime meriti ex-Provinciales nominantur; vel inter Definitores perpetuos Provinciae recensentur.

Aliquando filius unius Provinciae vel Conventus, ad aliam Provinciam vel Conventum transire desiderat causis tantum personam Postulantis respicientibus — et S. Congregatio — constito de rationabili causa, et praevia informatione ac voto P. Procuratoris G.lis Instituti — benigne annuit — *salvis Juribus primaevae Provinciae, vel Conventus jam quaesitis.*

Ex devotione S. Fundatoris Religiosi plerumque veluti Patrini vocantur sive in Baptismate sive in Confirmatione conferenda — et superioribus annuentibus, S. Congregatio indulget — « *arbitrio et* « *prudentiae Ordinarii; ac de licentia respectivi* « *Superioris; procuratorio nomine tantum Religionis* ».

Quid si Religiosus a Consilio familiae, vel jure sanguinis ad munus *Tutoris* vel *Curatoris* vocetur?

Superiores quandoque, necessitate coacti, Congregationem petunt, et consequi facultatem conantur — quae conceditur — « dummodo Religiosus Tribunalia personaliter non adeat; neque alia peragat, quae Religiosum virum minime decent; sed « ea per specialem Procuratorem perficiat, ne scandalis occasio detur; super quibus ipsius conscientia oneratur ».

Solent Studiosi saepe saepius e Bibliothecis in proprium commodum libros extrahere — sed praevia licentia Superiorum, et facultate S. Sedis, quam ea lege concedit: « ut quoties libros ab Oratore extrahi contigerit, toties ab eo notentur in syngrapha « penes Praefectum servanda; et quo citius fieri « poterit in pristinum locum reponantur: quod illico fiat, cum alii Religiosi eosdem libros lecturi « postulaverint ».

Ex his coeterisque similibus, quae heic, causa brevitatis, non referuntur, plane constat pro Religiosis propriae voluntatis abdicationem integram esse debere — *sine mora* — *non tepide* — *et bono animo:* praesertim cum de una in aliam do-

mum transferantur; de uno ad aliud officium destinantur: et haec omnia sine ulla praecedenti admonitione.

Hinc quaeritur an Religiosus, ex Conventu sibi a Superiore designato, possit proprio marte Romam petere?

Negative: et *voce activa ac passiva biennio privatus existat* — Clem. VIII. Decr. Gen. *Nullus omnino* §. 13. Congregatio autem, praevia informatione P. Procuratoris, *eum absolvit* — *injuncta ipsi congrua salutari poenitentia.*

§. 3.us

De his quae respiciunt Communitatem.

Passim Superiores, attentis temporum circumstantiis, indigent — ut unus et ipse Religiosus sit eodem tempore *Prior* Conventus et *Parochus; Superior* Domus et *Magister Novitiorum; Generalis* Ordinis et *Provincialis* unius Provinciae etc. QUAE SUNT MUNERA INCOMPATIBILIA.

Electus, propter obedientiam, suum opus denegare non potest; et S. Congregatio dispensationi super re indulget — *dummodo Religiosus praefatus utrumque officium sedulo adimplere possit* — Decr. S. Cong. Super Disciplina Regul. diei 11 Augusti 1795.

Ad normam eorum quos attinet — *Super prohibitione assequendi duo incompatibilia munia* — pretium operis est *per integrum* respectivum transcribere decretum.

« Cum in S. Congregatione EE. et RR. Cardi-
« nalium *Disciplinae Regularium* praeposita habita
« in Palatio Quirinali die II. mensis Augusti an. 1795.
« ab Emo *Gerdil* Ponente relatae fuerint preces
« a PP. Carmelitis Calceatis Provinciae Romanae
« SSmo Dno. N.ro Papae Pio VI. datae, et a Sancti-
« tate Sua ad eamdem S. Congregationem remissae,
« quibus nempe postulabatur *abrogatio Praxis*
« penes dictos Regulares invectae tribuendi simul-
« tanee, uni, eidemque Religioso DUO, vel PLURA
« *incompatibilia munia:* Emi ac R.mi DD. respon-
« derunt — *Consulendum esse SS.mo pro publi-*
« *catione decreti Generalis, quo prohibeatur,* NE
« IN QUOCUMQUE REGULARIUM ORDINE SOCIETATE AUT
« INSTITUTO, *duo munia aut de Jure, aut ex Con-*
« *stitutionum Apostolicarum praescripto, sive ex*
« *providentia particularum Constitutionum incom-*
« *patibilia,* uni *eidemque Personae imposterum*
« *conferantur.*

« Quod quidem Rescriptum in audientia diei
« 19 dicti mensis, et anni habita, per me infrascriptum
« Secretarium, *Sanctitas Sua plenissime approbavit,*
« et illius executionem, et *Decreti publicationem*
« *edicere,* et *jubere* dignata est.

« Quamobrem eadem S. Congregatio *praesentis*
« *Generalis Decreti* vi, ac tenore dictam *Praxim,*
« seu potius *abusum plura officio incompatibilia*
« *uni, eidemque Personae conferendi,* sive in dictam
« Carmelitarum Calceatorum, sive etiam in alia qua-
« libet tam ipsorum, *quam* ALIQUORUM ORUMCUMQUE
« REGULARIUM PROVINCIA invectum, *penitus repro-*

« *bat*, ac tamquam Regulari observantiae, Justi-
« tiae Distributivae, et Religiosorum quieti et tran-
« quillitati contrarium *damnat, prohibetque:* Prae-
« cepto autem Sanctae Obedientiae *injungit* et
« *mandat* UNIVERSIS CUIUSCUMQUE ORDINIS, CONGRE-
« GATIONIS, et INSTITUTI *Superioribus Generalibus,*
« et *Provincialibus,* aliisque quocumque nomine
« nuncupatis, sicut etiam omnibus quibuscumque
« Electoribus, qui suffragium ferunt in Capitulis
« tam Generalibus, quam Provincialibus, et in aliis
« quibusvis actibus, ubi hujusmodi electiones con-
« junctim, vel divisim fieri solent, ne imposterum
« *unquam audeant,* seu quovis *praetextu praesu-*
« *mant uni eidemque Personae* DUO vel PLURA OF-
« FICIA seu *munia incompatibilia concedere.*

« Quod si unquam aliqui *huic Decreto contraire,*
« *quovis modo praesumpserit, et unam eamdemque*
« *personam elegerint ad plura incompatibilia munia*
« *obeunda;* HUJUSMODI ELECTIONIS seu collationis
« *actus* NULLUS, atque IRRITUS *ipso facto sit in totum*
« si conjunctim, aut sub eadem die plura officia
« conferantur, ita ut *nullum e collatis officiis valide*
« *collatum censeatur:* si vero plura Officia incom-
« patibilia diversis actibus, diversisque diebus col-
« lata fuerint, *tunc illud tantummodo* quod *primum*
« concessum fuerit *pro valide concesso* habeatur;
« *ac reliqua omnia nulliter concessa reputentur,*
« *ac si collata minime* fuissent. Reservatque in-
« super sibi Sacra Congregatio *jus alias infli-*
« *gendi poenas arbitrio suo* in utroque, vel simul-
« taneae, vel disjunctae electionis casu, tam adversus

« Electores, et Collatores, quam adversus Electos, « *qui duo* vel plura incompatibilia Officia sibi col- « lata exceperint, vel exercuerint.

« Ut autem praesentis Decreti a nemine, *ullo* « *unquam tempore ignoretur, ejusque observantia* « *numquam negligatur,* mandat S. Congregatio, ut « *ipsum* quotannis una cum reliquis Constitut. Apost. « de more legi solitis, in Coenaculo, vel aliquo « alio loco, IN UNAQUAQUE RELIGIOSA DOMO *recitari* « *debeat* ».

I. CARD. BUSCA PRAEFECTUS.

N. ARCHIEP: EPHES: SECRET.

In administrationibus externis vero antiquitus de Syndico Apostolico, *laico saeculari* utebantur; Superiores Instituti tamen experientia docti, existimarunt melius esse illis substituendos Religiosos sive Sacerdotes sive Conversos, qui obedientiae causa munus oblatum recusare non possent; et S. Congregatio eis licentiam confert respectivam — *dummodo adhibeantur cautelae ne scandala oriantur.*

Nunc quaeritur, an Religiosi Missionibus, ultra maria designati, possint obedientiam suis Superioribus inficiari propter difficultatem itineris, valetudinis et vitae periculum?

Negative: namque ait S. Bernardus, uti jam retulimus, *obedientia terminis non arctatur; neque contenta angustiis professionis, sed largiori voluntate fertur in latitudinem Charitatis.*

Et Charitas diffunditur in populos, etiam in dissitas nationes, in quibus magis magisque fructus nostrae Redemptionis praedicare, et Crucem Domini afferre bonum et sanctum est; ad mentem SS. Fundatorum, quorum finis Christus fuit, est, et erit in saecula.

Caput Tertium.

De Voto Paupertatis

§. 1.us

In quo consistat Votum Paupertatis; et an afficiat professionem simplicem, eo modo quo solemnem.

Paupertatis Votum, quam profitentur Regulares in eo consistit, ut nemini eorum liceat quid etiam mobile, quovis nomine aut praetextu, tanquam *proprium* retinere; adeo ut quidquid acquisierit, Superiori statim tradendum sit, Conventuique incorporandum. Mobilium duntaxat usum ita Superior permittere potest, ut supellex *statui paupertatis* conveniat, nihilque in ea superflue sit; *ita Conc. Trid. Cap. 2. de Regular.* et decedens Religiosus, nisi res omnes dimiserit, sepelietur extra commune coemeterium. *Cap. 4. de Statu Monach.*

Hinc. Clem. VIII. in Decr. General. de Reformatione Regularium — *Nullus omnino praetextu* — decrevit: ad stricte custodiendum Paupertatis votum, neminem ex Religiosis, sive Superiorem, aut dignitate constitutum, *bona, pecunias, census, aliaque*

tam mobilia, quam immobilia posse possidere; sed omnia etiamsi *parta* ex Lectionibus, Concionibus, eleemosynis, *alioque justo labore* Conventui incorporari debere. Neque in his, Superioribus datum esse alios Fratres dispensare: quinimo de rebus, quae propter necessitatem concessa sunt, omnes uti debere, non sicut *de re propria,* sed *de re communi* sub poenis a Concilio Trident. comminatis.

Ex hoc plurimae descendunt dispositiones, quae constituunt *rationem agendi* pro Regularibus *super Voto paupertatis,* a qua nullus abstrahere praesumat.

Hinc quaeritur utrum hujusmodi lex afficiat professionem *simplicem* eodem modo quo *solemnem?*

Et si consideratur in suo statu normali utraque *Professio* constituta, in eoque permanens, dubium non est, quod in ipsis eadem sit ratio, eademque dispositio, saltem quoad *administrationem bonorum, usumfructum et usum.*

Inquit sane Pius IX, in declarationibus super votis simplicibus 12 Jun. 1858. N. IX; « Professi « votorum *simplicium* DOMINIUM RADICALE, uti aiunt, « suorum bonorum retinere poterunt; *sed eis om-* « *nino interdicta est eorum administratio, et redi-* « *tuum erogatio, atque usus.* Debent propterea ante « professionem Votorum simplicium cedere pro tem- « pore, quo in eadem Votorum Simplicium per- « manserint, *administrationem, usumfructum et* « *usum,* quibus eis placuerit, ac etiam suo Ordini, « si ita pro eorum lubitu existimaverint ».

Ergo Professi *Simplices* hoc in sensu compa-

rantur, in re, Professis, qui Vota *solemnia* sunt nuncupati.

Ast duo a S. Congregatione plerumque in casu requiruntur.

1° Quomodo intelligendum — ut *Novitii Simplices* possint disponere de *dominio radicali*, quod est *majus*, et non possint disponere de *bonorum administratione* et de *usufructu*, quod est minus?

Et S. Congregatio reposuit: quia *dominium radicale* RENUNTIANS *sibi reservavit;* ac proinde de eo disponere pro lubitu potest: e contra rerum administratio et ususfructus ei sunt *interdicta;* et per consequens ipsi negatur, ut de his disponat.

2° Quid si e vita discessit vel ulterius noluit *Administrator* delegatus *administrationem* prosequi? Cui recurrendum, pro *Substitutione Administratoris*? — ad eumdem Religiosum — ad Superiorem Generalem — vel potius ad S. Sedem?

Et S. Congregatio reposuit: recurrendum *ad S. Sedem.*

§. 2.us

Lex de Paupertate respicitne eodem modo Ordines Possidentes, quo et Ordines Mendicantes?

Huic quaestioni satisfieri volentes, distinguendum est: vel agitur de *Ordine,* uti de *Corpore morali*, vel de *Religiosis personis*, quae illud Corpus constituunt.

Si primum certum est legem de *Paupertate* ordines *Possidentes* non afficere. Siquidem fidelium oblationes, ac potissimum ipsae Monachorum manus antiquis Monachis victum suppeditabant. Temporum progressu, annuentibus Imperatoribus, *bona etiam immobilia* Monasteriis concessa fuere; nihilominus Saeculo XIII. omnes ordines tamquam *Mendicantes* adprobari postularunt, et qua tales adprobati fuerunt. Post varios casus Tridentina Synodus Sess. 25. de Regul. Cap. 3. sancivit: « ut cuilibet Mona« sterio *bona etiam immobilia liceat possidere in* « *communi, exceptis* DOMIBUS FR. MINORUM OBSER« VANTIAE, ET CAPUCINORUM ».

Ergo hodie indubium est dari Ordines possidentes, quos hujusmodi Paupertas *uti Ordines*, non afficit. — *Ordines vero mendicantes, uti Ordines, Voto Paupertatis* subijciuntur.

Ast locum habetne haec distinctio pro *personis religiosis* tum unius Instituti, tum alterius Ordinis? *Negative.*

Quod est notandum: ita ut *Religiosi* sive Ordinis *Possidentium*, sive *Mendicantium*, teneantur *voto Paupertatis, individualiter*, ut ita dicam, considerati.

Ex hac vero doctrina plurima descendunt *corollaria*, quae in nostris disquisitionibus, et in speciebus singularibus inferius pertractabimus; adeo ut quod de *Religioso Ordinis Possidentis* dicimus, intelligatur quoque dictum, de *Religioso Ordinis Mendicantium.*

His positis, quaestionem non facilem, non planam, neque peregrinam aggredimur.

§. 3.us

Utrum religiosi possint bona immobilia legitime acquirere; haereditatem adire vel acceptare; haec omnia possidere et administrare?

Ex dictis jam videretur quid singulis casibus esse respondendum; nihilominus cum agatur de speciebus quae saepe saepius apud S. Congregationem repeti solent; hinc pretium operae erit de illis diffuse disputare.

Siquidem Religiosi per *Votum paupertatis* jura civilia amiserunt; eorum voluntas per abnegationem interdicta fuit; impotentes facti sunt, ut possint *praestare consensum;* atqui sine juridica idoneitate, sine libera voluntate, absque consensu, nemo contrahere potest; et si non potest religiosus inire contractus; non valet et adipisci immobilia, quovis modo ei delata.

Quandoque si velit, ad S. Congregationem, annuentibus Superioribus, supplices mittat preces, quibus Sacer Ordo benigne annuit — *dummodo non agatur de rebus ad Conventum vel Ordinem pertinentibus.*

Potest necne haereditatem adire, vel acceptare? Ex se minime hoc ei datum est: sed quia ejus voluntas in Monasterio comprehenditur; ipse pro Monasterio acquirit. Hoc autem generatim loquendo. Namque casus sunt a casibus distinguendi.

Sane haereditas vel est *profectitia*, vel *adventitia:* et *prima* habetur cum ex suis parentibus vel consanguineis provenerit; vel *adventitia* cum ex tertia persona originem duxerit.

In haereditate profectitia ipse *quandoque* habetur *haeres necessarius*, et uti talis, *aditio* haereditatis est *jure sanguinis* — cui tamen opponitur facta renuntiatio: quam S. Congregatio solet dispensare, *salvo tamen jure tertii quaesito.*

Quoad vero haereditatem *adventitiam* speciebus obvenientibus applicari valeat eadem doctrina, quam pro acquirendis rebus immobilibus, jam notavimus, et etiam in hoc casu Monasterio acquirit.

Sed quid dicendum de jure civili in thesi?

Hoc jus si non agat uniformiter, et de concordia cum jure ecclesiastico, leges canonicas minime laedere potest.

Nihilominus omnibus notum est successiones haereditatis normam a jure civili tenere; a quo et robur et vim consequuntur; adeo ut ex eo dirimantur controversiae inter unum et alterum exortae; ex eo definitur quaestio haereditatis non aditae (Eredità giacente); ex eo denique certum est recte constitui *jura familiae.* — Atqui inter familiae *componentes* habentur et *Religiosi.*

Disputatur plerumque, an Regulares possint suam haereditatem *possidere* proprio nomine, eamque *administrare,* usumfructum percipere?

Sed responsio semper *negativa* confertur: namque sive *administratio*, sive *possessio*, sive *ususfructus perceptio*, in sensu juris, *actus* indicant

proprietatis; qui actus proinde contra *votum paupertatis* militare videntur.

Hinc S. Congregatio precibus oblatis pro *dispensatione,* quandoque perpensis peculiaribus circumstantiis, « benigne indulsit — sed semper de *con-* « *sensu* et *intelligentia Superioris;* et dummodo « Religiosus se abstineat ab actibus mere civilibus, « qui sunt faciendi per interpositam personam ».

Sermo aliquando habetur de *Livellis,* qui controversias inducunt; sed super his S. Congregatio judicia ferens, prae oculis semper tenuit monita *Pii VII, in Decr. de Reformat. regular. 22 Aug. 1814.* Quae sic se habent, n. 10. « De annuis vero « *praestationibus,* quae *Livelli* dici solent, aliisque « pecuniis, quae religiosis viris quocumque no- « mine obvenerint, Decreta serventur Romanorum « Pontificum, quibus praecipitur, ut quamprimum « in commune aerarium inferantur, et ea ratione « custodiantur, quam singulorum Ordinum regulae « et Constitutiones praescribunt. Ex his vero pecu- « niis, *subministrato* exhibituri, quantum religiosae « ejus necessitates (Status valetudinis laborumque « ratione habita) expostulare videbuntur, reliquum « penes aerarium remaneat. Ut vero omnis tollatur « occasio querendi de Superiorum severitate, aut « arbitrio, qui non satis suorum subditorum neces- « sitatibus prospicere videantur, decernit S. Con- « gregatio quod si forte agatur de erogandis pecu- « niis in commune aerarium a Religiosis illatis, non « in religiosorum qui attulerunt commodum, sed « in alios usus, nihil ea de re constituere Superiori

« liceat, absque consilio, imo et consensu duorum « ex tribus partibus Capituli ».

Ergo nequidem hujusmodi praestationes religiosi retinere valent; sed eas in aerarium commune erogare debent; tamen ex his, suis necessitatibus subveniendi statutum est. Ast hae dispositiones sunt in casu, quo *Livelli* jam in manu Superioris extant. Quid agendum si tales praestationes a *Parentibus* religiosis debeantur, et non solvantur, quia paupertate laborant?

Tunc recurrendum est ad S. Sedem pro *condonatione:* « quae benigne committit P. Superiori, « ut veris existentibus narratis, pro suo arbitrio et « conscientia oratori indulgeat pro remissione *Li-* « *vellorum* usque ad . . . . ita ut pro Livellis non « solutis, nihil a Conventu vel ab Ordine repeti « possit: curet ipse P. Superior, ut jura Reli- « giosi, et ejus Conventus in posterum sarta tecta « tueantur ».

Modo ad ultimam quaestionem nempe,

§ 4.us

De rebus omnibus, sic quaesitis, an possit disponere Religiosus per actus inter viros, vel causa mortis etiam, per testamentum.

Neminem latet in primis quod bona religiosi sive *profectitia*, sive *adventitia*, sive *parsimonialia* sint Monasterii; et si, praesertim hodiernis temporibus, religiosus pro Monasterio disponit « quinimo

debet disponere » ei inhaerens est facultas *jure proprio*, quin aliam consequatur licentiam.

Quid si disponere velit pro suis *consanguineis* aut *Extraneis?*

Tunc ad S. Sedem est recurrendum, quae uti mater benigna: « indulgere solet pro gratia dispo- « nendi de suis rebus et pecuniis quovis legitimo « modo acquisitis, per actus inter viros, vel causa « mortis etiam per testamentum, dummodo bona « et pecuniae ex Conventu vel Ordine non prove- « nerint: jura alteri quaesita salva maneant; *tertia* « vel *aliqua pars* sit pro eodem Ordine praelevata; « atque adhibeantur cautelae ne scandala oriantur ».

Hinc saepissime oriuntur disputationes super illa praelevatione *tertiae* vel *alicujus partis*, nam aiunt nonnulli ex religiosis - inibi agi de rebus *profectitiis* vel *adventitiis*, vel *parsimonialibus*, et per consequens earum *dispositionem*, sine ullo gravamine, religiosis competere justum esset: tanto melius, cum quandoque poterant disponere *grati animi sensu* etiam *pro extraneis*.

Sed huiusmodi ratiocinatio falsitate laborat: siquidem, ut jam probavimus, relate ad Monasteria, omnes silent distinctiones; hoc *unum* tantum verum est — *quidquid Monachus acquirit Monasterio acquirit*. Hinc si Ecclesia judicat pro Ordine *unam* patrimonii *partem*, relinquens voluntati et potestati religiosi alias *duas partes*, non modo injuriam religioso non infert; sed vere liberaliter cum eo agit, et hoc planum est.

Proinde S. Congregatio - *asserentibus hanc prae-*

levationem fuisse RECENTER *impositam* - respondere non dubitavit - *ejusdem originem ab initio Monachismi esse repetendam.* - Et satis.

Quoad vero facultatem disponendi *grati animi* sensu etiam pro *extraneis*, Pius IX jam *sollicite* eam *revocavit* (litt 4 Sept. 1876, ad P. General. Minorum de Observ. n. 163688 ex Disciplina regulari); et Summus Pontifex Leo XIII huiusmodi *revocationem* libenter approbavit.

Quinimo in aud. 2 Aprilis 1879, confirmans privilegia, dicto Ordini Minorum tributa, loquens n. 7, *de donatione mortis causa*, licentiam concessit eo in sensu, ut *extraneis* bona *non* relinquerentur — et quoad *testamentum* — voluit servatas praescriptiones S. Sedis, per S. Congr. super disciplina Regulari datas in cit. litt. 4 Sept. 1876.

Dispositiones enim, *grati animi sensu*, jam peractae, felices exitus sortitae non sunt; et unicuique ratio dubitandi evidens se exhibet.

Dicitur vero, Religiosus *Monasterio acquirit.* Quid si iste religiosus sit inter *Minores*, vel *Minores Capucinos,* quorum Ordinibus interdicta est *proprietas* et *possessio stabilium?*

Tunc superiores Ordinis *proprietates sic quaesitas,* auctoritate S. Sedis possunt per medium Religiosi acceptare; sed quamprimum, salvis domibus et viridariis, alienare; et pretium inde retractum in bonum Ordinis vel Provinciae impendere.

Nunc de illa celebri quaestione.

§. 5.us

Quid cogitandum de Parochis Religiosis relate ad Congruam Parochialem?

Non pauci Superiores conquesti sunt apud S. Congregationem de aliquibus respectivi Ordinis Parochis, qui eodem tempore, quo cum bonis Conventus viverent, eorum congrua parochiali pro lubitu usi sunt extra Conventum, sive pro eleemosynis fidelium conferendis, sive pro ecclesia restauranda, sive denique pro expensis muneris parochialis, *cum detrimento domus religiosae?*

Ast S. Congregatio « perpensis rerum adjunctis » nullum existimavit in re emittere judicium: neque decretum formale in medium proferre; sed tantum consideravit: Munus Parochiale esse penes Ordinem; et religiosum, qui in actu officium exercet, non jure proprio illud exercere, sed nomine Mandantis; Mandatarium autem rationem Mandanti reddere debere. Hinc ei sunt referendae dispositiones Clem. VIII, in Decr. General. cit. §. 2. quibus praecipitur: « ut « nullus ex fratribus, etiam si superior, bona im- « mobilia, vel mobilia, aut pecunias, proventus, « census, eleemosynas sive ex Concionibus, sive « ex Lectionibus, et pro missis tam in propria Ec- « clesia, quam ubicumque celebrandis, aliove *ipso-* « *rum* JUSTO LABORE, et *causa,* et QUOCUMQUE NOMINE « acquisita etiamsi piorum largitiones, legata, aut

« donationes fuerint, possidere possit; sed omnia « statim superiori tradenda et Conventui incorpo- « randa sub poenis a Conc. Trid. praescriptis ».

Hisce monitis, plurimi ex Parochis bonae voluntatis se cum superioribus composuerunt; et pax animorumque tranquillitas sive inter se, sive inter alios in Claustra reverti visa est.

Sed haeic quaeri oportet:

§. 6.us

An Religiosi possint habere et retinere beneficia ecclesiastica sive simplicia, sive residentialia, vel cum cura animarum?

Ratio *paupertatis* etiam in praesenti specie, *negat tive* respondet. Et merito: namque cuilibet notum es- Beneficia possidere, idem est ac *actus proprietatis continuo exercere.* Hinc Religiosi, dimisso legitime habitu regulari, a Romanis Pontificibus habilitationem ad Beneficia humillime petunt. Et S. Congregatio servatis servandis « tribuit facultates necessa- « rias et opportunas Episcopo benevolo receptori, « qui Oratorem habilitare valeat ad unum tantum « Beneficium ecclesiasticum, canonice assequendum, « ac retinendum nomine S. Sedis, titulo administra- « tionis, etiam residentiale, vel cum animarum cura, « dummodo aliunde ille dignus fuerit ».

Quandoque ratio temporis exigit, ut non *religiosus*, sed *Ordo* petat pro eo habilitationem ad

Beneficium *cum cura animarum;* tunc ita conceditur ut pro *Individuo* Indultum nullius sit valoris, nullamque vim habeat; « ac si excitetur *contestatio* « inter Religiosum et Superiores Ordinis, S. Con- « gregatio, *nunc pro tunc* indultum concessum *pro* « *infecto* tenere significat ».

Aliquando conceditur Beneficium religioso saecularizato *ad tempus;* tunc imponitur conditio: « Quod « hujusmodi Beneficium sit *illico* dimittendum, cum « ipsum ad Claustrum revocari contingerit ».

Quid si quis habilitatus fuerit ad unum Beneficium, quod obtineat; deinde relinquet; indigetne secunda habilitatione *ad aliud consequendum Beneficium?*

Utique est necessaria, quia prima concessio suum effectum jam sortita est.

Accidit quandoque ut quis aliquo Beneficio praeditus, petat et secundum; tunc non solum nova requiritur habilitatio, sed etiam super *pluralitate*, necessaria est *dispensatio*, quam Summus Pontifex non facile tribuere consuevit; et si illam concedit, conditionem apponit: « dummodo primum Benefi- « cium pro congrua sui sustentatione minime suf- « ficiat ».

In precibus a Religiosis S. Sedi delatis semel et iterum peti solet habilitatio ad *unum determinatum* Beneficium, sive *simplex*, sive *curatum;* ast S. Sedes gratiam non concedit, ne jura forsitan inter partes controversa, aliquo modo laedantur; sed *reformatis precibus*, tribuit habilitationem ad *unum in genere* consequendum beneficium, tam simplex,

quam residentiale, vel cum animarum cura, aut cum dignitate. Hujusmodi vero praxis lites sane multas de medio abstulit, et non raro.

Usque adhuc singulatim de Religiosis, uti privatis, nunc de *his simul*, de *Superioribus*, aut de *Ordinibus* est tractandum.

§. 7.us

Provinciales, Priores, et Parochi, saltem, possunt ne jure ordinario, recipere, ac apud se retinere pecuniam; Christifidelium accipere, ac retinere deposita?

Ipsi vel considerantur ut simplices Religiosi, et tunc juri communi subjecti sunt eo modo quo alii Consodales; vel ut munus nomini inhaerens *exercentes*, et tunc, ex se, nequeunt retinere pecuniam (Clem. VIII. Decr. General. n. 2) sed facile a S. Congregatione licentiam consequuntur; quae ita eis indulget « ut de memorata pecunia utantur pro suis « suaeque Provinciae, Conventus, subditorum ne- « cessitatibus; ac de acceptis et expensis cui de jure, « rationes fideliter reddant; *durante tamen munere*, « et adhibitis cautelis ne scandala oriantur ».

Quoad vero *deposita*, etiam negativa est responsio; et si quandoque a S. Congregatione permittitur, imponitur conditio: « *dummodo in populos scandala non eveniant* ».

Quod si simplices Religiosi pecunia indigent, causa subveniendi parentibus aut aliis consanguineis; tunc oportet distinguere: utrum sint de Ordine *Possidentium* vel *Mendicantium:* et pro *Primis* licentia datur P. Provinciali, « qui constito sibi de indigentia « propinquorum oratorum, iisdem facultatem con- « cedat ad *triennium*, illis usque ad tertium gradum « inclusive sibi Conjunctis, subveniendi, *salva tamen « lege Depositi: taxata summa in expressam causam « quotannis impendenda; atque adhibitis cautelis ne « scandala oriantur* ».

Pro *Secundis* vero, benigne committitur P. Provinciali, « ut constito sibi de vera indigentia pro- « pinquorum oratorum, pro suo arbitrio et conscientia « iisdem facultatem concedat ad *quinquennium*, illis « usque ad tertium gradum inclusive sibi conjunctis, « subveniendi pecuniis, quae *pro Conventu* vel Or- « dine elargitae non fuerint; quasque oratores apud « se non retineant, sed penes Syndicum apostolicum, « vel ejus substitutum, aut amicum spiritualem de- « ponant; atque in summa a superiori locali prae- « finita in expressam causam erogent, cum oppor- « tunis cautelis, ne scandala oriantur; super quibus « eorumdem conscientia oneratur ».

Conditiones his similes apponuntur indultis, cum tribuitur religiosis licentia retinendi pecuniam pro suis *necessitatibus*, ac praesertim *pro curanda valetudine.*

Proinde tam Procura G.lis, quam Provincialis, sive Conventualis *capsulam* habere debeant, *in qua* pecuniae, proventus, census, eleemosynae religiosorum,

quocumque ex titulo acquisitae, etiamsi ex Consanguineorum subsidio, vel piorum elargitionibus proventae, asserventur; et ex quibus cum caeteris bonis ac redditibus Conventus communis inde victus ac vestitus omnibus suppeditari possit; et Religiosorum singulorum necessitatibus, quantum expostulare videbuntur, subvenire ad mentem Clem. P. P. VIII in Decr. General. §. 2. et Pii Papae VII, in Decr. de Reformat. Regular §. X.

§. 8.us

An Ordines Mendicantium possint legata a fidelibus oblata recipere?

Vidimus jam Concilium Tridentinum sess. 25 de Regular. Cap. 3. sancivisse: ut cuilibet Monasterio bona etiam immobilia liceat possidere in Communi, *exceptis Domibus ff. Minorum de Observantia et Capucinorum.* Jam vero plerumque fideles, praesertim inter Dalmatas Fratribus Minoribus, ex devotione S. Fundatoris, offerunt legata cujus fructu satisfieri debent adnexa onera secundum voluntatem Institutoris. Superiores hisce in casibus ad Sedem Apostolicam preces remittunt, ratione temporum et necessitatis comitatas; ac humillime petunt illa acceptandi licentiam.

S. Congregatio, attentis informatione et voto P. Procuratoris Gen.lis Ordinis, benigne annuit arbitrio et Conscientiae P. Generalis ad effectum de

quo sermo est, « ita tamen ut hujusmodi acceptatio « fiat per Syndicum Apostolicum, aut per aliam « interpositam personam: TITULO SACRARII; *sors* (si « agatur de numerata pecunia) in tuto ac licito in- « vestimento collocetur, fructus inde obvenientes in « causam expressam erogentur; de acceptis et ex- « pensis, ratio, cui de jure, fideliter reddatur, et ser- « ventur in reliquis de jure servanda ».

Hoc autem speciali indulgentia; namque B. Franciscus Assisien. omnino prohibuit suis fratribus, pro eleemosyna, *acceptare pecuniam* a Christifidelium oblatam, sed tantum concessit *genera alimentaria* in sua natura. Nihilominus tractu temporis, quamvis jus' ita constitutum in suo robore permanserit, rerum adjunctis ubicumque mutatis, opus fuit Religiosis Ordinis Mendicantium *pecuniam* quoque excipere in oblationibus exhibitam. Unde factum est quod Provinciales plerumque a S. Congregatione licentiam respectivam humillime implorant, quam ipsa concedit ad *quinquennium* « ea expressa lege « et conditione, ut a P. Guardiano pro tempore de- « putentur probi Religiosi, qui pecuniarias colligant « eleemosynas; easque collectas quamprimum penes « Syndicum Apostolicum vel ejus substitutum depo- « nant, causa erogandi illas propter Conventus Re- « ligiosorumque necessitates; super quibus onerata « existat enuntiati P. Guardiani conscientia ».

Quo tempore autem elapso prorogatur facultas ad aliud *quinquennium, servata in omnibus forma anteactae primae concessionis.*

Quid si eleemosyna est quaerenda in ejusdem

Ordinis Ecclesiis pro ipsis instaurandis? tunc alia imponitur conditio, nempe ut « *excluso alio quo-« cumque usu, pecunia collecta in espressam cau-« sam dumtaxat erogetur;* adhibitis cautelis ne « scandala oriantur ».

Sed heic opportunum videtur referre declarationes a S. Cong. Episc. et Reg. datas 26 Martii 1677, et mense Aprili 1756. Minoribus S. Francisci *circa capacitatem recipiendi legata* « Sacra Congregatio « saepius declaravit Fratres Minores S. Franci-« sci, quamvis attenta dispositione Clementinae *Exivi « de Paradiso*, et Constitutionum Nicolai Tertii, « et Clementis Octavi, sint incapaces obtinendi, « et possidendi Census perpetuos, et bona stabilia, « posse tamen per viam purae, et simplicis Elee-« mosynae recipere quidquid ab Executoribus ulti-« marum voluntatem eis traditur pro celebratione « Missarum, pro ornamento Ecclesiae, aliisque ne-« cessariis procurandis juxta Doctrinam *Divi Bona-« venturae* relatam in Constitutione S. M. Urbani VIII, « incipien. *Sacrosanctum Apostolatus* Ministerium. « Atque in praefatis casibus dictos Executores « ultimarum voluntatum curare debere, ut *hujus-« modi* dispositiones adimpleantur, ne Testato-« rum animae debitis suffragiis defraudatae rema-« neant; quam quidem declarationem, illiusque « tenorem in casu, de quo agitur, eadem S. Con-« gregatio servari praecepit: Committendo Episcopo « N. ut veris existentibus narratis, et dummodo « actus per manus Syndici Apostolici, et nomine « S. Sedis fiant, petitam facultatem, in Testatricis

« voluntatis adimplementum pro suo arbitrio et « conscientia impertiatur ».

Relatae coeterum dispositiones semper locum habere debent in omnibus hujus generis actibus, qui causa brevitatis heic minime laudantur.

Nihilominus praeteriri non potest aliquid *de Regularium contractibus* innuere: et illico advertendum, eos faciendos ad formam juris, praestita probi viri peritia, et a S. Congregatione praevia consecuta facultate.

Sed de his videantur Canonistae; nobis tantum quaeri fas est.

Quid agendum si agatur de acquisitione Conventus ad alium Ordinem jam pertinentis?

Primum notandum, incivile esse de eo *tentare* contractum sine interpellatione primi Possidentis; injustum tamen evadere, contractum inire, absque ejusdem consensu, approbatione et indemnitate. Hoc enim secum fert contentionis occasionem inter Superiores unius et alterius Ordinis, quae minime in populos edificationem gignit cum Sedis Apostolicae admiratione et moerore.

Caput Quartum.

De Voto Castitatis

§. 1.us

In quo consistat Votum Castitatis.

Votum Castitatis non tantum in eo positum est, ut Regulares domitas habeant inhonestas passiones; quod Christianis omnibus commune est; verum etiam ut se *a nuptiis* abstineant.

Religiosi sane Deo specialiter dicati omnia rejicere debent quae impedimentum excitare possint, ut institutio eorum et officium minus sedulo adimpleatur.

Unicuique enim notum est quantae sint familiae sollicitudines, quae sive corporis sive mentis puritatem Religiosorum a divina Contemplatione, divinorumque mysteriorum meditatione distrahere valeant.

Quibus generatim consideratis, videndum utrum votum Castitatis idem sit in *Professo simplici*, eodem modo quo in *Solemni.*

Praetermittentes illas quaestiones, quae propositum nostrum non attingunt, illico animadvertimus antiquitus grave fuisse discrimen inter *votum simplex*,

et *solemne;* quorum alterum *minus licitum,* alterum vero *irritum* matrimonium faciebat; sicuti deducitur ex *Siricio* Papa, qui IV. Ecclesiae saeculo Pontificatu maximo functus est, in Epistola 10, Pag. 1° Col. 688. apud Constantium Epist. Roman. Pontif.

Sed nostra non interest illud *Votum Simplex* considerare juxta mentem Siricii, sed animum vertere ad *Vota Simplicia* a Summo Pontefice Pio IX. cum suis Constitutionibus introducta, et *ante Professionem Solemnem emittenda.*

Ex Encyclica sane, *Neminem latet, 19 Martii 1857*, decrevit quod peracta probatione et novitiatu ad praescripta S. Concilii Tridentini, Constitutionum Apostolicarum et Statutorum Ordinis, *Novitii* VOTA *Simplicia emittant,* postquam compleverint aetatem requisitam a jure.

Professi post *triennium* a die, quo *Vota Simplicia* emiserunt computandum, si digni reperiantur, ad *Professionem Solemnem* admittantur.

Et in Declarationibus *diei 18 Junii 1858,* idem Pontifex inquit:

1° *Vota Simplicia* de quibus agitur « *perpetua* « erunt *ex parte voventis,* utpote quae tendunt ad « emittenda deinde Vota *Solemnia,* in quibus *perfec-* « *tionem* et complementum accipiunt ».

Ex quibus dispositionibus igitur; ex formula *professionis simplicis;* ex *perpetuitate* ejus a parte voventis; ex fundamento a quo vitam ducit professio solemnis, ubi invenitur *perfectio* et complementum, videretur *quoad Substantiam,* nullum adesse discrimen inter *Professionem Simplicem* et *Solemnem.*

Attamen ex relatione status Ecclesiae Mexicanae constat postulatum fuisse a S. Congregatione num conjux manens in « saeculo nedum *bimestre* et *an-* « *num* probationis ante simplicium votorum profes- « sionem expectare teneatur, sed et subsequens « *triennium*, quo demum expleto, juxta recentem « disciplinam locum esse professioni Solemni? » Idem Summus Pontifex Pius IX, die 24 Januarii 1862, dubio respondendum mandavit « *nonnisi per Solem-* « *nem Votorum professionem* matrimonium ratum, « et non consummatum dissolvi: *non vero per* « *professionem Votorum Simplicium* ».

Ergo inter professionem *Solemnem* et *Simplicem*, *etiam* post Constitutiones Pii Papae IX, grave discrimen adesse planum est.

§. 2.us

Hinc quaeritur, an utraque Professio quoad substantiam possit dispensari?

De professione Solemni ne verbum quidem dici potest relate *ad dispensationem* QUOAD SUBSTANTIAM, sed tantum *accidentaliter* remitti per saecularizationem, de qua inferius et fusius habebitur ratio.

Ergo de dispensatione *solum Professionis Simplicis* sermo est habendus.

Primum notatur quod Professio sive *annualis*, sive *biennalis*, vel *triennalis* in novis Institutis *titulo experimenti* praemittenda ad Professionem *perpetuo*

simplicem, utique dispensari possit, et plerumque dispensatur.

Sed quid dicendum de professione *simplici* praemittenda ad *professionem solemnem*?

Pius Papa IX, uti jam innuimus, praecepit maximam adhibendam esse curam, sollicitudinem, diligentiam ad eorum spiritum probandum, qui *Vota Solemnia* Deo nuncupare postulant, ne quis admittatur, qui saeculi contagione pollutus, tamquam ovis morbida electum Christi gregem inficiat; vel *verae vocationis expers,* gravem suscepti Instituti sodalibus molestiam afferat; voluit ut primum *Novitii ad Professionem Votorum Simplicium* reciperentur, et post *triennium, si digni reperti sint,* ad professionem *Votorum Solemnium* admittantur.

Ast quid agendum *si digni* hoc tempore *non reperiantur,* et ad statum religiosum vocati non sunt?

Tunc prosequitur laudatus legislator: a Votis Simplicibus dispensantur, et huiusmodi *dispensatio* reservata est *Romano Pontifici.*

Verum quandoque etiam ex parte Ordinis concedi potest dimissio.

Nunc videndum quando Romanus Pontifex *dispensat;* quando Ordo *Professos* dimittit.

Primum si quis vel ex defectu vocationis, vel causa salutis onera Claustri ulterius sustinere non valeat, preces Romano Pontifici, voto Procuratoris commendatas, porrigit, et S. Congregatio vel Superiori Generali, vel Ordinario Postulantis, « benigne « annuit, qui super Votis simplicibus *paupertatis* « *obedientiae* et *castitatis,* dispensare valeat: monito

« oratore, ut vocationis gratiam, religione, atque in-
« tegritate vitae redimere satagat ».

Nonnullis abhinc annis in formula dispensationis introducta fuit *limitatio*, ita ut dispensaretur super voto *paupertatis* et *obedientiae*, FIRMO REMANENTE VOTO CASTITATIS.

Hinc exorta est questio: utrum hujusmodi limitatio esset *admittenda* vel potius reprobanda.

Auctores limitationis eam strenue sustinuerunt veluti *custodiam* quamdam pro dispensatis, ut facilius a peccatis se abstinerent.

Hi vero qui voluerunt arbitrariam limitationem esse reprobandam, plura attulerunt argumenta ex historia, ex fine, ex observantia, denique a jure deducta.

Siquidem Romanus Pontifex, Pius IX. uti vidimus, ad evitandas in Ordinibus disciplinae perturbationes, et regularis observantiae discrimina, instituit *Vota simplicia*, ita ut Professus videns se nolle amplius regulas Claustri tolerare, ei valedicere possit quod verificari nequiret si *Votum Castitatsi* in suo robore maneret contra voluntatem tum Institutoris, tum Postulantis.

Insuper institutio *Votorum Simplicium* locum habuit die 19 Martii 1857: et coram Summo Pontifice Institutore, et Secretario S. Congregationis, legis auctore, vota simplicia dispensata pluries fuere, et LIMITATIO — *firmo remanente voto castitatis* — semper IGNOTA fuit.

Atqui *observantia* est *potior* et *authentica* legis interpretatio, a qua incivile est arbitrio recedere;

eo magis, quod omnes Superiores Generales Ordinum hanc limitationem sunt admirati, et contra eam conquesti sunt.

Et merito, namque legislator, loquens de hujusmodi dispensatione concludit: *data dimissione, professi ab omni dictorum Votorum vinculo et obligatione eo ipso liberi fiant.*

Hinc S. Congregatio rationibus utrinque perpensis decrevit: *nil esse immutandum, et limitationem propositam non modo reprobavit, sed etiam prohibuit.*

Nunc de dimissione ex parte Ordinis.

Neminem praeterit in actu emittendi *professionem simplicem,* inter Juvenem profitentem et ordinem nasci quemdam conctractum; ita ut si professus sancte et recte in sua vocatione, et observantia disciplinae perseveret, Superiores Ordinis illum sine ejus consensu dimittere nequeant.

Quid si Professus sit de aliqua culpa vel crimine accusatus?

Tunc Generalis Ordinis suo consilio potest dimittere eum. Tamen Superiores debent procedere summa charitate, prudentia, et ex justis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota; secus eorum conscientia graviter onerata remanet; Ita Pius IX. declarat. super Encyclic. litt. *Neminem latet. 19 Mart. 1857. n. V.*

Sed non raro factum est, ut superiores in judicio minus fuissent felices; et Professi apud S. Sedem conquesti sunt; deducentes sententias contra se non esse legitime datas; injustitia pollere; eorum jura offensionem recepisse; ipsorum nomen in deterius

collapsum; neque accusatos fuisse auditos; neque testes esse examinatos; ac proinde jure merito esse delendas. Et S. Congregatio saepe saepius quaerelas Postulantium exaudire coacta fuit. Inde re mature perpensa, simul cum doctoribus studiis atque aetate gravibus, non dubitavit normas in casu constituere, et dispositiones in medium proferre; quod factum fuit per Decretum.

— AUCTIS ADMODUM *die 4 Nov. 1892. editum* auctorante Summo Pontifice Leone XIII. In eo siquidem §. III. sequentia leguntur: « Quoties agatur de ali-
« quo alumno vota simplicia quidem sed perpetua
« professo, vel votis simplicibus temporaneis ad-
« stricto... neminem et ipsi superiores dimittere va-
« leant, nisi ob culpam gravem externam et publicam,
« et nisi culpabilis sit etiam incorrigibilis. Ut autem
« quis incorrigibilis revera habeatur, superiores prae-
« mittere debent, distinctis temporibus, *trinam admo-*
« *nitionem et correctionem,* qua nihil proficiente,
« superiores debent *processum contra delinquentem*
« *instruere,* processus resultantia *accusato contestari,*
« eidem tempus congruum concedere, quo *suas defen-*
« *siones* sive per se, sive per alium ejusdem Instituti
« religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse
« proprias defensiones non praesentaverit, Superior
« seu Tribunal *defensorem,* alumnum respectivi Insti-
« tuti ex officio constituere debebit. Post haec superior
« cum suo Consilio sententiam expulsionis, aut dimis-
« sionis pronuntiare poterit... *quoties autem gravibus*
« *ex causis procedendi methodus supradicta servari*
« *nequeat, tunc recursus haberi debeat ad S. Con-*

« *gregationem, ad effectum obtinendi dispensationem* « *a solemnitatibus praescriptis, et facultatem pro-* « *cedendi summario modo, juxta praxim vigentem* ».

Quae praescriptiones sunt conformes sensui naturali; namque unicuique datum est sua, suique jura tueri; sunt legibus civilibus consentaneae, namque omnes populi *Rei* defensionem admittunt; sunt denique juri ecclesiastico convenientes: namque Ecclesia, uti Mater pietatis, cum charitate, et ordine servato, justitiam reddit.

Hisce consideratis, facillime S. Congregationis intelligitur ratio, qua voluit, ut *omnia Instituta,* in dimissione Profitentium votorum simplicium, *novo uterentur jure* - cujus dispensationem, iteratis precibus, omnimode concedere renuit. Nunc quaeritur.

§. 3.us

Utrum dispensari, vel dimitti possit Professus votorum simplicium « morbo praepeditus » sine ejus consensu?

Inter requisita, quae pro recipiendis Novitiis, Clem. VIII in Decreto. — *Cum ad Regularem* — voluit inviolate observanda, est *corporis habitudo Postulantis.*

Hinc complures extant Regularium Ordinum Constitutiones, quibus statuitur - ut si quis habituali corporis aegritudine v. gr. « comitiali morbo afflic- « tetur, eumque *rogatus* ante Professionem, non

« patefecerit, quamvis jam professus, e Religione « dimitti possit ».

Et in Constitutionibus Ordinis Capuccinorum quae a S. Sede in forma specifica confirmatae fuerunt, Cap. 2, sequentia leguntur. « Qui elephantia, « morbo caduco, aut alia infirmitate contagiosa « afficitur *non recipiatur*. Et si quis talis acceptus « fuerit, eo quod interrogatus, *talem infirmitatem* « *manifestare noluerit,* declaratur *Religionem ad* « *eum retinendum minime velle* esse obligatam ».

Ex quibus *tria* deducuntur. 1. Ut quis morbo sit detentus *ante professionem* - 2. interrogatus a Superiore circa morbum, quo tenebatur, reticuit - 3. tamen, ab eo praepedito, professionem emittat. In hoc casu etiam *sine ejus consensu,* sic *Professus, potest dispensari vel dimitti* a Religione.

Quid si *infirmitas* supervenerit post Professionem?

Pius Papa IX *in cit. declarat.* super Encyclicis litt. 19. Mart. 1857, n. 5 edixit - *Nemo* autem *ex causa infirmitatis, post professionem votorum simplicium superventae,* dimitti poterit.

Et S. Congregatio, hisce innixa doctrinis, preces a Superioribus ad hunc effectum plerumque delatas, omnimode rejecit.

Jure sane, quia secus afflictio adderetur afflictis; et hoc est contra Ecclesiae charitatem.

Quid si in Professo, post professionem, *infirmitas supervenerit,* et ad dispensationem, consensus praestare nequeat, quia *factus mentis impos?*

Etiam in hoc casu Apostolica Sedes dispensa-

tionem, vel dimissionem recusat; quia, uti jam innuimus, inter Postulantem, et ordinem, *per Professionem* initur contractus bilateralis, qui solvi non potest, *nisi utraque consentiente parte.*

Et jure meritoque, secus enim gravi mentis afflictus morbo, « absque ulla eius culpa » poenam sui doloris pati deberet: et Deo adjuvante, sanitati quandoque restitutus, vagans et incertus sine stabili mansione, vitam peregrinam ducere coactus esset.

Et haec sufficientia videntur quoad *Professos.*

LIBER TERTIUS.

De Saecularizatis - Ejectis, Fugitivis, Apostatis, et Transeuntibus ad aliam Religionem.

Caput primum.

De Saecularizatione

§. 1.us

Praemittenda.

Per legem 7 Julii 1866, n. 3036 - et 19 Junii 1873. n. 1402 - Ser. 2 - super Ordinum Regularium suppressione. Art. 1.° « Non sono più riconosciuti nello « Stato gli Ordini, le Corporazioni, e le Congrega- « zioni Religiose regolari e secolari, ed i Conser- « vatorii e Ritiri, i quali importino vita comune, « ed abbiano carattere ecclesiastico.

« Le *Case* e gli *Stabilimenti* appartenenti agli « Ordini, alle Corporazioni, alle Congregazioni, ed « ai Conservatorii e Ritiri suddetti *sono soppressi*.

« Art. 2.° *I membri degli Ordini,* delle Corpo- « razioni, e delle Congregazioni Religiose, Conser- « vatorii e Ritiri godranno dal giorno della pub-

« blicazione della presente legge, *del pieno eser-
« cizio di tutti i* DIRITTI CIVILI e politici ».

« Art. 20.° I fabbricati dei Conventi soppressi, « quando *siano sgombri dai Religiosi*, saranno con- « ceduti " dallo Stato „ ai Comuni ed alle Pro- « vincie ».

Ex quibus dispositionibus DUO pro nobis consideranda oriuntur.

1. Relate *ad Conventus.*
2. Relate *ad Religiosos.*

Pro iure civili enim *Conventus* DEMANIO cedunt. *Religiosi* ad IURA CIVILIA restituuntur. Heic de *primis* sermonem habemus; inferius de secundis.

Hinc quaeritur praefati Conventus *interim* clausuram amittunt?

Nulla Romanis Pontificibus tam gravis fuit cogitatio, quam firmitas *Clausurae* pro Regularibus. Audiatur prae omnibus Bonifacius VIII in sua Const. *Periculoso de Statu Regularium libr. 6.* « Praesenti « constitutione, *perpetuo* irrefragabiliter valitura, « sancimus universas et singulas moniales (etiam « religiosos viros) praesentes atque futuras, in qui- « buslibet mundi partibus existentes, sub PERPETUA « in suis Monasteriis debere de cetero *permanere* « CLAUSURA » quam Bonifacii *decretalem* amplexae sunt successivae particulares *Synodi;* eiusque executionem et observantiam plurimum commendarunt - uti videre est in *Coloniensi* an: 1310 - *Ravennatensi* 1314 - in *Beneventana,* 1331 etc.

Quae *clausura* imposita a Romanis Pontificibus complectitur sane *materialem conventum in suis*

partibus designatis: ita ut, si Religiosi accidentaliter inibi non commorentur in *actu*, tamen *habitu*, *perpetuo* permanet dispositio apostolica - usque dum eadem Auctoritas, quae Clausuram posuit, illam solutam non declaravit.

Unde Pius Papa IX praecepit semel et iterum, ad confirmandam hanc doctrinam, ut unus Custos Religiosus etiam *laicus* sufficeret ad repraesentandam hujusmodi Clausuram, quae in suo robore manebat. Et merito; namque jus non destruitur facto alterius vis incompetentis, quoquo modo illa superveniat.

Ex hoc facile deducitur resolutio alterius quaestionis - quod *in Conventu derelicto*, quandoque familia Religiosa restituta, illico in eo reviviscat clausura, uti antea erat; et reviviscant, *jure post liminii*, omnia privilegia, honores, gratiae, exemptiones, quas Summi Pontifices, ac Apostolica Sedes illi Communitati suis Constitutionibus et ordinationibus jam dederat.

Scio vero hac super re plerumque agitari quaestiones etiam inter magnae notae Doctores utrinque argumenta deducentes: sed neminem praeterit, incivile esse pro infecto habere quod jure, et ab auctoritate competenti factum est, et *optatum*, ut in suo robore maneat. Siquidem, jam vidimus, ex Auctoritate Apostolica, *domus in Conventus* canonice *erectas*, a PROFANIS ad Sacras res assurgere, et ad profanas redire non posse sine eadem Apostolicae Sedis Auctoritate - *Cap. ad haec 4, de Religiosis domibus:* Ratio est - quod Deo semel dicatum fuit ad humanos usus amplius revocari non debet. *Can.*

QUAE SEMEL *4. Caus. 19. q. 3. et Reg.* Semel *61 in 6.*

Nunc ad *Religiosos* qui, pro relata lege, ad *iura civilia* reverti dicuntur.

Etiam hic distinguere oportet, aliud esse quod *jus laicum* praescriptiones facere valeat, et faciat revera; aliud esse quod *in obiecto* inveniatur capacitas eas recipiendi, et legitime in casu de illis utendi. Agitur enim de personis, quae sponte juribus civilibus renuntiarunt: et renuntiationem, Professione religiosa jam emissa, perpetuo jurarunt — quomodo ergo contra jusjurandum agere possunt? magis magisque, quia ex *hoc actu voluntario*, sub alia jurisdictione et auctoritate inciderunt: cui — in his omnibus, et per omnia subjicere oportet. Hujusmodi auctoritas sane est Ecclesia; sunt Romani Pontifices, qui *obvenientibus* circumstantiis occurrere Religiosis omni studio curarunt per ordinationes et decreta.

§. 2.us

De decretis S. Congregat. super disciplina Regulari illico in re prolatis.

Pius Papa IX sane ad aerumnas, quibus Ordines Regulares, suppressionis causa, affecti essent, aliquo modo reperandas, jussit, voluit, atque decrevit 1. ut universi omnes Religiosi cujuscumque Ordinis et cujuscumque gradus, quos extra Regularis Provinciae fines degere contigerit, inspectioni et juris-

dictioni subiicerentur *territorialis Provincialis:* qui de ipsorum moribus, et consuetudine quotannis, et quandocumque rogatus, respectivo Provinciali referret. *Decr. 5 Aug. 1872. n. 160390.* Et quanam ratione haec edixit? Ne Religiosi dispersi sine ulla relatione cum propriis Superioribus, magis magisque commodis concederent cum Christifidelium admiratione.

Statuit 2. ordinum Antistites in praeservata, aut redempta Coenobia, vel in conductas emptasve domos dispersos sensim congregare subditos curarent, qui debitam Superioribus Regularibus obedientiam servarent atque reverentiam; secus enim amitterent exemptionem, et alia privilegia iis a Sede Apostolica quoquomodo concessa. *Decr. 5 Aug. 1872. n. 160391.*

Et quanam ratione haec S. Congregatio id praescripsit? quia Religiosi in vinculo pacis essent cum suis Superioribus; eos inscios non relinquerent: eorumque dispositiones adimplerent: ne optarent in saeculo libertatem: aut modicae fidei haesitantes formidine manum Domini super Ecclesiam suam fore abbreviatam putarent.

Voluit 3. ut quisque Religiosus in Sacris Ordinibus constitutus *infra sex menses* in una quavis Dioecesi, de licentia Ordinarii cum Apostolica Sede gratiam et communionem habentis, sedem posuisset: unde nisi, ob probatam causam, et facta sibi in scriptis ad congruum tempus tum ab ipso Ordinario, tum a Superiore Regulari discedendi facultate, abesse minime audeat - secus *suspensus ad benepla-*

citum S. Congregationis existat. Decr. 5 Aug. 1872. n. 160392.

Hoc sane Summus Pontifex praecepit, ne Religiosi vagi, incerti, atque instabiles, loci disciplinae observantiam offenderent; potius quam fidelibus populis, sacra obeuntes ministeria, prodessent, et pia conversatione proficerent.

Quod si hisce mandatis non obtemperarent Religiosi, instituta relinquerent, et Saecularizationem a S. Sede implorarent.

§. 3.us

Quid est Saecularizatio, et quotuplex?

Iam superius vidimus - professionem regulae facere aliquem Regularem. Ergo usque dum *omnia constitutiva* professionis observat Professus, ipse in Religione manet; sin autem deserere Institutum, et regulas « saltem quoad substantiam » observare amplius nolit; tunc dicitur reverti inter Saeculares: qui *actus Saecularizationem* constituit.

Saecularizatio est vel *temporanea vel perpetua*. PRIMA cum *ad tempus* quis *facto* deserat regulas et instituta. SECUNDA cum quis *perpetuo* id agat.

Inter saecularizationes temporaneas recensentur. Saecularizationes ad *annum*, ad *biennium*, ad *quinquennium: durante infirmitate* oratoris - *durante* munere - *durante* necessitate Parentum - *durante aliqua* peculiari causa - denique *ad Nutum S. Sedis.*

Inter *perpetuas* saecularizationes adnumeratur in primis illa, quae a Romano Pontifice indulgetur ut quis ex Instituto ad saeculum redeat; ad hominum vitam communem perpetuo resumendam. Illa quae datur per *modum expulsionis;* aut perpetuo adnexa suspensione a divinis - denique ad ANNUM et *interim,* quatenus sit *basis et fundamentum perpetuae Saecularizationis.*

Iuxta propositum nostrum de his est diffuse pertractandum, et *singulatim;* ut videatur earum substantia, et existentiae ratio.

Sed illico animadvertimus causam potissimam pro petitionibus, in *defectu vocationis,* consistere: et huic deficientiae consulitur cum decreto perpetuae saecularizationis: ut inferius videbimus.

§. 4.us

De Saecularizationibus temporaneis.

Prima inter omnes illa est consideranda, quae originem ducit a necessaria Religiosi Parentum *assistentia.*

Quamvis Clem. III, in Cap. 12 de Reg. et can. 23, dicat « Monachum aut *paterna* devotio, aut propria « professio facit, *quidquid horum fuerit* ALLIGATUM « tenuit. Proinde huic ad mundum reverti *inter-* « *cludimus aditum, et omnes ad saeculum* interdi- « cimus regressus - Nihilominus » *Girald. exposit. jur. Pontific: part. 2, Sect. 50, Pag. 865. Tom. 3,*

inquit — si eorum competentibus Apostolicae Sedis Tribunalibus Religiosi voluntatis suae causas exposuerint atque postulaverint, haud aegre a Romano Pontifice opportunae facultates indulgentur.

At quomodo id negari possit, quod jus sanguinis repetit?

Hinc S. Congregatio precibus Religiosorum « *si* « *veritati nitantur*, benigne annuit; et ipsis licen- « tiam concedit manendi extra Claustrum durante « Parentum asserta necessitate; habitu tamen re- « gulari illico dimisso; caeterisque impositis con- « ditionibus P. Generali benevisis ».

Quandoque Religiosus ita est morbo praepeditus, ut nequeat in Claustrum, speciatim hodiernis adjunctis, suam curare valetudinem. « Et tunc S. Sedes « ei facultatem tribuit manendi extra Claustra ha- « bitu regulari *illico* dimisso, *durante asserta infir-* « *mitate* ».

Plerumque accidit, ut Religiosus aliquod munus exercere valeat incompatibile cum habitu regulari, *per se*, vel *ratione temporis;* tunc datur saecularizatio *durante munere.* Dicitur *per se* ex gr. si quis *officium tutoris* et curatoris *necessario* adimplere sit coactus.

Dicitur *ratione temporis* ex: gr. si quis Paroeciam quamdam regere teneatur.

Denique *ratione domus tranquillitatis;* si quis aere alieno gravatus, pacem, in silentio solitudinis, molestiis afficiat: et *tunc Saecularizatio ei tribuitur donec creditoribus satis factum non sit.*

Evenit aliquando, ut Religiosus quoddam iter,

vel missionem complere necessario debeat sive intra Italiae fines, vel ultra montes, aut maria; et tunc Saecularizatio confertur ad *annum*, *biennium*, aut *quinquennium* « ea expressa lege, ut illico ha« bitum *regularem* dimittat, et adimpleat condi« tiones ipsi a Superiore praescriptas ».

§. 5.us

Quid importat Saecularizatio ad Nutum S. Sedis?

Regularium Ordinum Alumni per *civilem suppressionem*, e Claustris ejecti, domicilium sibi ubicumque pro singulorum adjunctis licuit statuere. Ast nonnulli ipsorum (uti legitur in cit. decret. 5 Aug. 1872, n. 160392) levitate forsan animi, atque inconstantia propositi, quoque commoditatum desiderio, huc illuc omnes fere Italiam peragrabant, in exteras usque regiones migrabant, revertebantur, sine ulla observantia erga Superiores; absque ulla obedientia erga Episcopos locorum; cum habitus religiosi dedecore; et cum admiratione populorum. Hinc Pius IX ad corripiendos, coercendosque hujusmodi abusos, voluit, ut ipsi vel obedirent decretis superius relatis, vel saecularizationem peterent. Et multi etiam annuentibus Superioribus, Saecularizationem petierunt, quam S. Congregatio, attentis particularibus circumstantiis in re concurrentibus; perpensisque adjunctis, ex quibus constabat - non posse eis immediate conferre saecularizationem in

sensu juris « benigne mandavit tribui P. Generali « facultates necessarias et opportunas, ut praevia « absolutione Oratorum - etiam per sub-delegan- « dum impertienda - a censuris et poenis eccle- « siasticis, ob spreta Superiorum mandata utcum- « que contractis; et dispensatione super irregularitate, « quatenus opus fuerit, injuncta ipsis congrua sa- « lutari poenitentia; iisdem oratoribus pro suo ar- « bitrio et prudentia licentiam concedere valeat « manendi extra claustra *habitu regulari illico* « *dimisso, quamdiu regularis eorum Provinciae* « *hodierna perduraverint adiuncta, et* ULTRA *ad* « NUTUM S. Sedis.

Et sic saltem tractu temporis perturbationibus, et injuriis consultum fuit.

§. 6.us

De Saecularizatione ad annum et interim etc.

Ut quis consequi possit Indultum Saecularizationis perpetuae, precibus conjunctis, exhibere debet S. Congregationi testimonium acceptationis Episcopi benevoli receptoris; et constitutionis S. Patrimonii.

Iam vero facile certe non est *unum* et *alterum* a petentibus praesentari. Namque Episcopi plerumque id negant: et facultas constituendi patrimonium fere in omnibus deficit.

Hinc duae quotidie agitantur quaestiones:

1. An Episcopi possint receptionem negare Religiosis praesertim Dioecesis originariis?

2. Cur non dispensatur a S. Congregatione super disciplina Regulari a S. Patrimonio *cum Religiosis,* eo modo quo a Concilio pro *Iuvenibus levitis* facile indulgetur?

Ad primam quaestionem respondentes, una tantum animadversione satis faciamus, nempe Religiosi solemniter professi *originalitatem* amiserunt, ac proinde de ea inutiliter uti velle desiderant. Nam Professi *votorum solemnium* ob statum religiosum permanentem, quem amplexi sunt, *in perpetuum* a iurisdictione Episcoporum omnino subtrahuntur: quod tamen locum non habet relate ad Professos *votorum simplicium*, qui dimitti et dispensari solent.

Ad *secundam* vero quaestionem solvendam etiam facilius deveniri possit, si mens ponatur in eo, quod S. Congregatio Concilii cum suis dispensationibus auxilium validum praestet Iuvenibus, ut ascendere valeant ad Ordines Sacros usque ad Presbiteratum, in bonum Ecclesiae et Societatis: quod si id ageret S. Congregatio Disciplinae Regularis, auxilium Religiosis praeberet, ut facilius valedicerent Institutis, quorum regulas, et observantiam perpetuam libere et sponte cum juramento amplexi fuerint.

Quibus notatis, planum est in suo robore manere, pro Religiosis, difficultatem constituendi Patrimonium Sacrum, et inveniendi Episcopum benevolum *pro saecularizatione perpetua:* tamen haec saecularizatio semel et iterum *necessaria* consideratur.

Unde S. Congregatio, praevio consensu et studio PP. Superiorum Ordinum — ut Claustris consulere posset; et Religiosis subvenire (ne Instituta derelicta, in suspensionem a divinis inciderent) induxit formulam Saecularizationis ad *annum et interim* etc. quae est *fundamentum perpetuae*: et precibus oblatis indulgens « *benigne* annuit P. Generali, qui oratoribus « licentiam concedere valeat manendi extra Claustra, « habitu regulari illico dimisso, *ad annum:* et in- « terim S. Patrimonium sibi constituant; Episcopum « benevolum receptorem inveniant dicti Oratores; « et deinde iterum recurrant ».

Ac si infra *annum* hisce conditionibus nequeant obtemperare — ipsa S. Congregatio « benigne annuit « eidem P. G.li, qui indulta, de quibus agitur, *pro-* « *rogare* valeat ad alium *annum:* servatis ceterum « forma ac tenore primae concessionis ».

Sed heic oritur gravis controversia.

§. 7.us

Quomodo se gerere debeant Episcopi cum saecularizatis ad annum et interim.

Archiepiscopus Valentinus litteris diei 4 Iulii 1899. exposuit S. Congregationi super Disciplina Regulari, « in sua Dioecesi adesse Religiosos saecu- « larizatos *ad annum et interim,* quibus, ut ajebat, « quin onera *Episcopi* benevoli receptoris in se « suscipiat; aliquod levamen ipsis offerre desiderat:

« ideoque *licentiam exposcit, ut Ordinem exercere* « *valeant ad suum beneplacitum* ». Et S. Congregatio respondit « Religiosos hujusmodi, ita saecularizatos, « pertinere ad Ordines *votorum solemnium;* proinde, « nisi sint aliqua *speciali* censura irretiti, nulla in- « digent nova facultate, ut sacris ministeriis — *Epi-* « *scopo auctorante* — in respectiva Dioecesi possint « vacare ».

Ut autem unusquisque Episcopus valeat hanc responsionem facile intelligere, oportet, ut nos heic referamus rationem decidendi in renuntiato Rescripto.

Siquidem S. Congregatio pro illis Religiosis, qui gratia vocationis destituti, vel de alia rationabili causa muniti, extra Claustra degere voluerunt, et tractu temporis vellent — notatum concessit *Indultum*, (ut Patrimonii constitutionem petere, ac Episcopum benevolum receptorem invenire possent) et *interim* sine perturbatione ordinis, extra Claustra licite commorari; sacra facere ubicumque; verbum domini praedicare; et pia conversatione populis fidelibus denique prodesse.

Quibus autem dispositionibus jurisdictio Episcopalis nulli subest detrimento: namque Ordinarius, invitus, non cogitur illos in suum clerum cooptare; neque Beneficiis ecclesiasticis proponere; sed perdurante gratia concessionis; ejusdemque a Sede Apostolica *consecuta prorogatione*, ad obeunda ministeria, pro lubitu in sua Dioecesi habilitare potest, si velit.

Neque ullam huic agendi rationi dubitationem

infert — *Decretum* AUCTIS ADMODUM 1892 — quia hoc *per regulam generalem* afficit Instituta nascentia *Votorum simplicium;* ac tantum *per exceptionem* respicit Ordines proprie dictos; in quibus *Vota solemnia* Religiosi nuncupantur. Quae tamen *exceptio* si fieri contingerit, in *singulari decreto* adamussim notatur; ita ut *speciale* Rescriptum, ejusque conditiones LEGEM pro Individuo constituunt; et solummodo ab *eo* Ordinarius sui agendi rationem quaerere debet.

Idem responsum datum est Archiepiscopo Tarentino, ceterisque ordinariis.

Et merito, quia S. Sedes Ordini universali in Ecclesia prospicere cupit; Regularium difficili hodiernae conditioni occurrere; tamen jurisdictionem *Dignitatum*, actu existentium, in honore esse libenter desiderat.

§. 8.us

De *ratione agendi* relate ad VOTORUM SIMPLICIUM *perpetuo* PROFESSOS.

Notavimus sane decretum Saecularizationis ad *annum* et *interim* — jure ordinario, esse applicandum illis, qui vota nuncupantur *solemnia:* namque Professi simplices (in novis Institutis) *originalitatem non amittunt,* ac per consequens eos recipere debent Ordinarii Originis. Hinc hisce, Saecularizationem petentibus, aptatur *Decretum Auctis admodum;* quod in N. 6, ita se habet « qui in sacris Ordinibus con-

« stituti, et *votis simplicibus* obstricti sive perpetuis « sive temporalibus sponte dimissionem ab Apostolica « Sede petierint, et obtinuerint, vel aliter ex Aposto- « lico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel « temporaneis dispensati fuerint, ex CLAUSTRO NON « EXEANT *donec Episcopum benevolum receptorem « invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi pro- « viderint:* secus suspensi maneant ab exercitio « suorum ordinum ».

Quod porrigitur quandoque, *per exceptionem*, etiam Religiosis *solemniter* professis; cum hi — nulla militante legitima Saecularizationis causa — S. Congregationem iterum iterumque premunt *ad illam obtinendam*. Hoc in modo de eorum culpa poenitentiam agant, cum suspensi inter populos vagare coacti sunt: et plerumque eorum resipiscentiam a Deo optimo Maximo, gratia cooperante, consequi videntur.

Nunc de Saecularizatione *per modum expulsionis.*

§. 9.us

Quando datur Saecularizatio per modum expulsionis?

Contigit aliquando, ut in aliquibus Provinciis nonnulli Religiosi viri vitam ducant minus rectam: hinc ad resumendam regularem observantiam, quam solemniter professi sunt, in Conventus vocati, pluries resistant; hortationibus non pareant, saepe

saepius superiores negligant: et si in Claustra recepti, *aliis* sunt in destructionem: tamen contra eos, nequit auctoritas, juris ordine servato, procedere: tunc agendum est ad mentem Decret. cit. 5 Aug. 1872, n. 160391 — cujus dispositiones sunt sequentes.

« Noverint omnes ac singuli Religiosi, qui de-
« bitam Superioribus Regularibus observantiam et
« obedientiam servare, ac praestare omiserint, eos
« omnes quavis exemptione, gratia, privilegiis, fa-
« cultatibus peculiaribus Apostolicae Sedis rescri-
« ptis, ultro concessis, vel obtentis, ipso facto
« et jure hujus decreti auctoritate destituuntur
« et privantur ». Quibus innixi Superiores deducunt ad S. Congregationem horum Religiosorum inhonestas actiones, inobedientias, perturbationes, atque pervicaciam: et S. Ordo — attentis informatione et voto P. Procurat. G.lis Ordinis, perpensisque peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus —
« benigne tribuit facultates necessarias et opportunas
« P. Generali, qui praefatis Religiosis licentiam con-
« cedere valeat manendi extra Claustra, *habitu re-*
« *gulari illico dimisso quoad vixerint, per modum*
« *expulsionis,* et absque ullo eorum ordinis onere.

Tunc illi infelices suspensi manent a divinis: Episcopi eos recipere nolunt: populique fideles in contemptum habent. Et merito, quia neque congruit nec expedit, Apostolicae Sedis illis conferre munera, qui non Ecclesiae, uti se sponte dicaverint, honori, sed suis malint vivere commodis.

§. 10.us

Curnam in Saecularizationibus tum temporaneis, tum perpetuis, praecipiatur habitus regularis illico DIMISSIO?

Sancti Fundatores spiritum virtutis internae, voluerunt, ut etiam extrinsecus in suis alumnis redundaret: hinc habitum disposuerunt, qui vitam, mores, sensus, finem; ceteraque requisita, quibus speciale Institutum praeditum esse adamussim ostenderet. Hinc factum est, ut omnes Religiosi sive bonae conversationis, sive rationis non rectae; omnes, inquam tam in Claustris, quam extra, *habitum regularem desiderant;* et illi etiam, qui instanter instantissime *saecularizationem* petunt, *habitum regularem* dimittere recusant. Nihilominus Superiores, in hoc praecise unanïmiter conveniunt, ut eorum subditi, qui Claustrum deserunt, illico *habitum regularem* dimittere teneantur; et quandoque sub poena suspensionis a divinis, nisi obediant.

Quod tamen justum, et prudens videtur esse, tum ex parte Religiosi Saecuralizati: tum ex parte Ordinis; tum denique ex parte Ecclesiae, Religionis, et Societatis.

Ex parte Religiosi, cui datum non est deserere onera Claustri, et ejus privilegiis gaudere: ita ut sit eodem tempore sacerdos saecularis, et Regularis Alumnus.

Ex parte Ordinis, quia ejus libertas potest scan-

dala afferre populis; cum domus verae observantiae, inter eos plerumque existunt.

Ex parte Ecclesiae, et Religionis, quia hujusmodi Religiosus neque Ordinario loci obedientiam praestat, neque Praelato Regulari reverentiam praebet.

Ex parte Societatis, demum, quia corpus sociale desiderat, ut unusquisque in suo ordine maneat, ne singulorum gradus, et classes pro confusione turbentur, et utrinque aliqua suspectio circuat quem devoret.

Praenotatis omnibus et singulis, relate ad varias et minores *Saecularizationes;* veniamus nunc ad *Saecularizationem majorem,* quae est *perpetua.*

§. 11.us

Quid dicendum de Saecularizatione perpetua?

Cum Religiosus, ut iam notavimus, vocatione deficiat, vel aliquam gravem causam praebeat, tunc ei opportunum est concedere, ut Claustrum *perpetuo* relinquat.

Quoniam varii sunt Religiosorum gradus: plures sunt quaestiones in re faciendae.

Agi potest revera vel de *Sacerdote solemniter* professo — vel de Sacerdote *simpliciter* professo — vel de Subdiacono, aut Diacono *solemniter* professo — vel de Subdiacono et Diacono *simpliciter* professo — vel de *laico* solemniter professo — vel denique de

Religioso a censuris ecclesiasticis irretito, qui petit Saecularizationem.

De his omnibus et singulatim.

1. De Sacerdote *solemniter* professo — qui petens *Saecularizationem perpetuam* debet preces munire testimonio *constitutionis S. Patrimonii*, et *acceptationis* Episcopi benevoli receptoris: et S. Con-Congregatio « attentis informatione et voto P. Pro-« curat. Generalis Ordinis, nec non litt. test. Epi-« scopi benevoli Receptoris, benigne annuit eidem « Episcopo qui — constito sibi de congruo patri-« monio, vel de alia sufficienti sustentatione esse « provisum, (si agatur de Italia, *exclusa civili pen-« sione*) ipsi licentiam concedere valeat manendi « extra Claustra, habitu regulari dimisso, *quoad « vixerit* (si inter possidentes; *absque ullo ejus or-« dinis onere*) — ita tamen, ut substantialia voto-« rum, quatenus fieri poterit, observet; habitus « religiosi memoriale signum intrinsecus deferat; « Ordinario loci subsit in viın quoque solemnis « obedientiae voti. Constitutionibus Ordinationibus « Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque « non obstantibus. Hoc autem decretum P. Pro-« vinciali, vel Generali notum illico reddendum, nisi « infra *sex menses*, si intra Italiam — sin vero ultra « montes et maria — infra *annum*, fuerit executioni « demandatum, nullius esto roboris ».

Quid si intra determinatum tempus indultum executioni non sit demandatum? Tunc in caducitatem incidit: et novis precibus oratoris *revalidari* a S. Congregatione est necessarium; illudque novae

executioni, tempore quoque determinato, remitti — Quid in hoc casu si Orator exhibeat pro executione Rescripti *alium Episcopum* benevolum receptorem *alterius* dioecesis? Tunc, praevia revalidatione Decreti, ad novum Ordinarium executio remittitur; tempore etiam determinato, et servatis ceterum forma ac tenore primae *concessionis*.

Dicitur in *Indulto* — EXCLUSA CIVILI PENSIONE — et quanam causa? Pius IX hanc dispositionem faciens, consideravit civilem *pensionem* non esse *perpetuam* ad mentem Concilii Tridentini; ideoque Patrimonium S. supplere non posse. *Alias rationes vero hujus praecepti* S. Congregatio sibi reservavit, et reservat.

2. De *Sacerdote* SIMPLICITER, sed perpetuo professo. Tunc permanens in *Claustro* Orator, non prius ei licentia datur hoc deserere, nisi exhibeat *testimonium Episcopi benevoli receptoris, et constitutionis S. Patrimonii:* ceterum tractandus uti *Sacerdos* solemniter professus. Quandoque tamen — difficultate constituendi Patrimonium ad formam Concilii Tridentini (quod hodie etiam Beneficio substitui potest), si Episcopus benevolus receptor asserat — Oratorem esse sufficienter provisum — tunc in Indulto additur conditio — « vel de alia ufficienti sustentatione esse provisum — et rescriptum *perpetuae* « *Saecularizationis* conceditur ».

3. Si de *Subdiacono* et *Diacono* agatur, et ipsi non praebeant *duo* jam relata essentialia requisita pro saecularizatione perpetua « tunc per regulam « generalem datur Indultum, sed ea conditione — ut

« *Oratores suspensi ab exercitio Ordinis maneant,* « donec S. Patrimonium sibi non constituant; et « Episcopum benevolum receptorem non inveniant ».

Si tamen ipsi sint *simpliciter* professi, ac Patrimonium, et Episcopum benevolum receptorem exibeant, super *votis simplicibus paupertatis,* et *obedientiae* cum illis dispensatur.

4. Si agatur de *Laico solemniter* professo, et constito de legitima causa Saecularizationis — tunc, S. Congregatio « benigne annuit *Ordinario originis,* « qui Oratori licentiam concedere valeat manendi « extra Claustra *quoad vixerit,* habitu regulari di- « misso, ET ABSQUE ULLO eius ordinis onere (si inter « Possidentes existat): ita tamen ut —*firmo rema-* « *nente voto castitatis* — alia votorum substantialia, « quatenus fieri poterit, observet: habitus religiosii « memoriale signum intrinsecus deferat: *ordinario* « *loci, ubi commorabitur, hoc indultum exhibeat,* « eique subsit in vim quoque solemnis obedientiae « voti ».

Dicitur in omnibus et singulis *Saecularizationis perpetuis* Possidentium — *abque ullo ejus ordinis* onere — namque antiquitus *perpetuo exclaustrati pensionem annuam ab ordine requirebant:* et Superiores plerumque cum detrimento Instituti — hisce praesumptionibus satisfacere conati sunt. Hinc S. Congregatio, causa redimendi Ordines a similibus molestiis, clausulam relatam, Rescriptis apposuit.

Datur quandoque, ut *laicus* saecularizatus in saeculo, ita sit vinculis circumventus, ut egeat necessario dispensatione super *voto solemni castitatis:*

et tunc est recurrendum, per medium sui Ordinarii, ad S. et universalem Inquisitionem.

Quid de Religioso demum a censuris irretito, qui implorat Saecularizationem? S. Congregatio — servatis de jure servandis, benigne annuit ordinario « qui — praevia absolutione Oratoris a censuris ec-« clesiasticis (si Sacerdos) et dispensatione super « irregularitate, injuncta ei congrua salutari poeni-« tentia — indultum perpetuae Saecularizationis « concedat ».

Et satis de Saecularizationibus.

Nunc.

§. 12.us

De his, qui redeunt, vel revocantur ad Claustra.

Anno 1882 — instantibus nonnullis Generalibus, S. Congregatio praecepit « ut unusquisque Superior « sui Instituti Religiosos, extra Claustra *illegitime* « degentes, omnes et singulos, revocasset ad ordi-« nem; et *intra annum:* si obtemperare non possent, « causas apud S. Sedem deduxissent; quae auditis « informatione et voto P. Procuratoris Generalis, « prout in Domino expedire, speciebus obvenientibus « consuluisset ».

Plurimi Sedis Apostolicae dictis obedientiam praestarunt: alii autem, delatis rationibus, cum S. Congregatione se composuere. Non pauci vero fuerunt,

etiam inter legitime ac perpetuo saecularizatos, qui reingressum in Religionem humillime et sponte petierunt.

Hinc exortae sunt *tres* in re quaestiones.

1. Quoad facultatem eos iterum recipiendi in Claustra.

2. Quoad Novitiatum et Professionem.

3. Quoad praecedentiam ante quaesitam.

Sed facile resolvuntur.

Ad primam. Religiosi cum implorant, et consecuti sunt perpetuae saecularizationis decretum, sub immediata S. Sedis jurisdictione facto et jure descendunt: et ita perseverant usque dum eadem Auctoritas illos non solvit. Ergo, ut religiosis concedatur in Ordinem reingressus, Summus Pontifex debet, *indulta* perpetuae saecularizationis *reportare* in primis; ac deinde eis pro gratia indulgere.

Ad Secundam. Sacra Congregatio EE. et RR. in Comitiis 30 Jan: 1824 — ad postulatum reposuit — *Professionem religiosam non infirmari per Rescripta de quibus agitur*, ac proinde — NON TENERI INDULTARIOS, reiterare Novitiatum et professionem, quando ad claustra redire desiderant.

Et jure — namque etiam data Saecularizatione perpetua — vota *solemnia* QUOAD SUBSTANTIAM integre semper manent. Tamen hoc intelligendum est, si velint reverti, et revera revertantur ad Ordinem, cujus regulas per professionem — peractis de jure peragendis — jurarunt — Secus dicendum, si *ad aliud Institutum ingredi vellent*, et tunc

considerantur, ut ceteri Postulantes: — Quod planum est.

Ad tertiam. Eadem S. Congregatio Superius cit. — die 30 Aprilis 1838. instantibus Religiosis Camaldulen. rescripsit — *anterioritatem Religiosorum,* qui perpetuae Saecularizationis indultum consequuti sunt, A DIE REDITUS IN RELIGIONEM *computandam esse.*

Merito tamen; Aliter virtus perseverantiae, et bonae voluntatis maxime laederetur.

Hinc contra prudentiam et leges se gerunt nonnulli Superiores Generales, qui, innixi votis suorum Definitorum, pro lubitu constituunt, ut *Neoreversus* illam praecedentiam assumat, quae ad eum spectaret, si in ordine perseverasset. Quod est, *non raro*, contentionis occasio.

Caput Secundum

De Corollariis, quae respiciunt perpetuo Saecularizatos

§. 1.us

An Religiosi Saecularizati « QUIA IN PERPETUUM SAECULARIZATI » *possint acceptare, ac retinere Beneficia Ecclesiastica?*

Saepe saepius Episcopi Residentiales cum habeant in sua Dioecesi aliquem Sacerdotem *perpetuo exclaustratum*, illi non dubitant quoddam conferre Beneficium, praesertim *cum animarum Cura*, et in eo cum *Bullis* instituere, sine licentia S. Congregationis, quae (cum illo dispensando super voto paupertatis), eum habilitet ad Beneficia ecclesiastica consequenda. Plerumque, datis circumstantiis, ab errore recedunt: et S. Sedem petunt, ut excipiant regulam agendi: S. Congregatio libenter precibus annuit.

Episcopus N. sane litt. diei 14 Januarii 1899 — *tria dubia* proposuit S. Congregationi super Disciplina Regulari.

1.° An Religiosi perpetuo Saecularizati « *simplici Rescripto Saecularizationis perpetuae* » *aucto-*

ritatem habeant accipiendi, ac retinendi Beneficia Ecclesiastica, sive Redentialia, vel etiam cum animarum Cura — *sine Apostolicae Sedis habilitatione?*

2.° An *institutiones* Parochorum, et Canonicorum, ex — Religiosis TANTUM *Saecularizatis perpetuo,* neque ad Beneficia habilitatis — sint *invalidae,* quamvis *bona fide peractae?*

3.° An demnum valeant ipsi in possessione Beneficiorum manere veluti *legitimi possessores.*

Et S. Congregatio hisce mature perpensis die 31 Januarii 1899 reposuit.

Ad primum — NEGATIVE.

Ad secundum — Investituras, de quibus in casu, esse *nullas in radice.*

Ad tertium — *Negative,* et recurrant *ad S. Sedem pro sanatione, revalidatione, habilitatione, et facultate.*

Siquidem notum est omnibus, et jam superius innuimus, *tria vota principalia* solemnia — *professionem solemnem inducere:* quibus respectiva *onera* et *jura* respondent. Hinc (nihil dicentes in casu de voto castitatis) cum *Solo* Indulto *Saecularizationis perpetuae* — Religiosus subtrahitur — ACCIDENTALITER — *ab obedientia* Superioris; et nihil amplius: ita ut si velit bona *acquirere,* possidere, ad Beneficia *optare;* oportet, ut dispensationem consequatur a *Voto paupertatis;* secus etiam hoc in suo robore manet: et ex — Religiosus illud servare adamussim debet. Neque bona fides valet *idoneitatem* supplere; cui, in actu *solemnis Professionis,* juramento renun-

tiavit: et ipse neque factum proprium, neque legem poterat ignorare.

Ergo Religiosi *perpetuo Saecularizati, cum solo indulto Saecularizationis, non possunt Beneficia Ecclesiastica, neque acceptare neque retinere* — quod planum est; *et velim animadverti* generatim ab illis Auctoritatibus, quibus datum est conferre Beneficia: quae sunt tantum conferenda Religiosis *legitime habilitatis,* juxta formam et modum a nobis alias relatum.

Nunc disserendum.

§. 2.us

An Religiosi, perpetuo Saecularizati, fructus Beneficiorum percipere valeant; et in quanam *ratione?*

Quod ex — Religiosi, qui *legitime* in Beneficia sint Instituti, valeant eorum fructus obvenientes percipere quotannis, nulla est ratio in contrarium dubitandi: sed solummodo mihi videtur disputandum, *in quanam ratione:* quod ex jure communi, et ex responsis S. Congregationis est desumendum.

Episcopus N. suis litteris 3. Februarii 1899. ad S. Congregationem dubium proposuit.

« Utrum Parochus M., perpetuo Saecularizatus,
« et *legitime in Curam Animarum institutus,* posset
« facere suos fructos Beneficii Parochialis; *et* in
« quanam *ratione?*

Cui S. Ordo, die 21 Febr: 1899. reposuit.

AFFIRMATIVE *ad primam partem* — ad 2.am *Pro sui congrua sustentatione tantum.*

Quoad responsionem primae partis dubii, ex jam notatis, nulla datur dubitatio. Quoad secundam vero ejus *veritas* probatur.

Siquidem, quod *bona ecclesiae sint Patrimonium Christi* neminem latet ex Cap. Cum Secundum de Praeb. et Dignitat: — quod sint *Patrimonium Pauperum* — evidenter constat — ex Caus. 16, can. fin. quaest. 1.a Quod *Clerici Beneficiarii* TENEAN-« TUR redditus, quos ULTRA SUI HONESTAM SUSTEN-« TATIONEM ab Ecclesia percipiunt, DISTRIBUERE in « *pauperes,* aliave pia opera EROGARE — *praeceptum* est a Concil. Trident. Sess. 25, Cap. 1.o de Reform. Bened: XIV de Synod. dioeces. libr. VII. Cap. 2. §. 14.

Atqui Regulares cum *habilitatione ad Beneficia consequenda,* restitunutur ad eam *idoneitatem,* quam jam abdicaverant cum voto *solemni paupertatis:* Ergo saltem sunt *Clericis,* hac in re, aequiparandi.

Saltem inquam — namque eorum restitutio non est quoad *substantiam,* sed tantum, *quoad accidentalia:* et Beneficia canonice consecuta; ab iisdem sunt retinenda *nomine S. Sedis, titulo administrationis.* Inde pro ipsis neque illa fieri potest controversia in Concilio Tridentino agitata et non definitive decisa — *an Clerici Saeculares fructuum suorum Beneficiorum* sint *tantum Administratores* et Usuarii, AN DOMINI — Pallav. Hist. Conc. Trid. libr. 24. Cap. 3. n. 4 — namque Regulares habi-

litantur ad Beneficia — retinenda *nomine S. Sedis, titulo administrationis* uti est dictum: ac proinde eis fructus conceduntur — *tantum pro sui congrua sustentatione:* quod erat demonstrandum.

§. 3.us

An Religiosi perpetuo Saecularizati, QUIA SAECULARIZATI, *possint nec ne bona stabilia acquirere, retinere, administrare, haereditates adire; et acceptare:* de his pro lubitu *disponere?*

Id quod notavimus in Capite de *Voto paupertatis*, idem haeic est repetendum pro Saecularizatis « *quamvis perpetuo saecularitatis* » *usque dum a Sede Apostolica indultum in re* non obtinuerint. *Votum paupertatis* enim est perpetuum: et si S. Congregatio ab eo quandoque dispensat, tantum quoad *accidentalia* dispensat; non autem quoad *substantiam.*

Quid si quis etiam *perpetuo Saecularizatus* bona acquirat proprio marte, ea administret; haereditates adeat, vel eas excipiat: et de his omnibus, sic acquisitis, disponat *per actus inter vivos; vel causa mortis: etiam per testamentum sine venia Apostolicae Sedis?*

Omnes contractus inutiliter agit; *in censuras* incidit, et data earum violatione « in *irregularitatem* incurrit ».

Unde si ad S. Congregationem veniat, ejus precibus, a Superiore commendatis, benigne ipsa in-

dulget, tribuens facultates necessarias et opportunas P. G.li vel Provinciali, vel Ordinario, qui — « praevia « absolutione oratoris a censuris ecclesiasticis, etiam « per subdelegandum impertienda, et dispensatione « super irregularitate, ex violatione dictarum cen- « surarum, quomodocumque contracta — injuncta « ei congrua salutari poenitentia — omnes actus, « acquisitiones, aditiones, et praefatos contractus, « usque adhuc sine venia apostolica initos — in ra- « dice *sanare* atque revalidare valeat: dummodo « hujusmodi bona ex Conventu vel ordine non pro- « venerint, et jura alteri quaesita salva maneant ».

Quid si Religiosi antequam religionem ingressi sunt de suis rebus disposuerunt? Tunc utebantur jure suo; et dispositiones in honore esse habendas justum videtur.

Ast non raro accidit quod Religiosi sive in Claustro commorantes, sive extra Claustrum, per saecularizationem *perpetuam*, degentes, anteactas dispositiones mutare desiderant; *quia conditiones suarum familiarum sunt mutatae.* Tunc si S. Sedem petunt — ea per S. Congregationem annuit — ut denuo *testamentum* « conficere possint; « dummodo jura alteri quaesita *minime laedantur* ».

Nunc de illa celebri quaestione.

§. 4.us

De Successione Religiosorum relate ad R. C. Spoliorum.

Anno 1827 Summus Pontifex Leo XII. ad auferendas continuas querelas Superiorum Ordinum, et haeredum Religiosorum, qui extra Claustra decedebant, *Commissionem* S. R. E. C. instituit, quae super successione Religiosorum normam generalem statueret: et ad effectum tria dubia proposita fuerunt.

1° « Cui competat jus succedendi haereditati « Regularis professi decedentis extra Claustra, qui « Apostolicum indultum obtinuit manendi extra « Claustra *ad tempus*, retento habitu, *vel veste sui* « *Ordinis dimissa.*

2° « Cui competat jus succedendi haereditati « Regularis Professi, qui infausto anteacto tempore, « *ejectus* publica vi a Coenobio, et veste sui ordinis « expoliatus, rationabiles causae ei obstiterunt, ne « successive tranquillitatis tempore ad suum rediret « Coenobium, suisque Ordinis vestem reassumeret.

3° « Cui competat jus succedendi haereditati « Regularis Professi, qui Apostolicum *Indultum* « obtinuit acquirendi bona, haereditates et legata, « et de iisdem acquisitis disponendi, et signanter « si dispositio fuerit ad causas pias, et favore Re- « ligionis. ».

Interim Leo XII diem supremum obiit, eiusque Successor Pius Papa VIII die 26 Junii 1829. sequens dubiis responsum dedit.

Ad primum — De hujusmodi haereditate judicandum esse iuxta dispositiones Juris Ecclesiastici communis, scilicet *eam spectare ad propriam defuncti Religionem.*

Ad secundum — Si Religiosus, de quo est sermo, *perpetuae Saecularizationis absoluto non fruebatur indulto*, uti in praecedenti.

Si vero fruebatur, distinguendum esse inter bona ab eo relicta, scilicet bona, quae Religionis erant, secumque e Claustro egr ediens, ipse attulerat, vel ei utcumque obvenerunt, quemadmodum et bona, si quae babebat ex illis provenientia eidem Religioni manere. Quoad autem cetera bona a tali Religioso extra Claustra aliter, quam ex bonis Religionem pertinentibus, acquisita, judicandum de iis esse juxta Constitutionem Gregorii XIII. *officii Nostri* etc.

Ad tertium — Si dictus Religiosus Apostolico Indulto disponendi de bonis, ut in casu, *legitime usus est, facta* nimirum *dispositione* undique legitime eorumdem bonorum, jus de quo agitur illi competere, *cujus favore facta est dispositio.*

Sed ne post hujusmodi quidem decisiones et regulas finem habuit controversia; quinimo saepe saepius denuo agitata fuit: ita ut S. Congr. EE. et RR. litt. datis — ex aud. SS.mi die 21 Febr. 1892 — reposuit Religiosis — ut, cum S. Congregatione Spoliorum se componerent, ea tamen expressa conditione — quod hujusmodi compositio liberos eos

non faceret, circa adimplementum oneris impositi in indultis, quibus praescriberetur *esse praelevandam aliquam partem bonorum eorum, de quibus disponebatur, favore eiusdem Ordinis, vel causae piae.*

Nec licet dubitare de Jurisdictione dictae Congregationis; namque Summus Pontifex Pius VIII. proposito dubio: « An sit supplicandum SS.mo, « ut privativam jurisdictionem cognoscendi, et de« finiendi quaestiones, quas oriri contigerit inter « Superiores Regularium Ordinum, et R. C. Spo« liorum administratores circa interpretationem et « explicationem Const. Greg. XIII. die 21 Ja« nuarii 1577, quae incipit *Nostri Officii* » alicui « ex Sacris Congregationibus tribuere dignetur » die 26. Junii 1829 — rescribi mandavit « ut quae« stiones, prout in dubio, cognoscantur et definiantur « *a S. Congregatione Episcoporum et Regularium,* « *non obstantibus Constitutionibus Apostolicis de* « *Spoliis*, et signanter Gregorii XIII. diei 21 Ja« nuarii 1577 — *Officii Nostri*, inveterata consuetu« dine, ordinationibus, aliisque in contrarium qui« buscumque ».

Quibus positis, administratores R. C. Spoliorum anno 1836 — eamdem Congr. EE. et RR. rogarunt, ut quaestionem dissolveret.

« An pensiones, quae a pubblico aerario sol« vuntur Regularibus extra Claustra degentibus, « habendae sint tamquam pensiones ecclesiasticae, « ita ut, natura sua, spolio subjaceant. Et S. Con« gregatio eodem ann: die 6 Junii — *Negative* — « reposuit ».

Nunc quaerimus nos *utrum pensiones*, quae hodie ab aerario, Religiosis solvuntur, possint *jure* hi, *perpetuo Saecularizati*, secum ferre in saeculo; ac de illis *jure* gaudere? Possunt Superiores id permittere? Et *Negative* S. Congregatio semper reposuit. Namque inhaerens doctrinis expositis a Clem. VIII — planum est — neminem ex Religiosis etiamsi *Superiores*, pecunias, census, aliasque elargitiones posse retinere ac possidere: neque Superiores, quicumque ii sunt, *Fratres* dispensare, sub poenis a Conc. Trid. comminatis: Ac praesertim in nostra specie: Siquidem pensiones constituunt *correspectivum* bonorum, aedificiorum, aliarumque rerum ordinis, ac ad ordinem semper spectare debent, etiam in pecuniam redactae. Et de hoc satis.

Caput Tertium

De Eiectis et Eiiciendis — Fugitivis — et Apostatis

§. 1.us

Generalia.

Cum de Novitiis, Professis, et Saecularizatis jam plurima disserimus, perpauca nunc supersunt addenda, eaque minime spectantia ad Regulares in propriis Claustris degentes, sed ad eos potius, qui mallent extra Religiosas domus vagari; aliosque illos, qui e Claustris, ob patrata crimina, fuerunt expulsi — hi dicuntur *Fugitivi*, *Apostatae*, *et Ejecti.*

Primum oportet in re quaerere cur nam nimis redundans Regularium numerus in hujusmodi statu inveniatur, veluti errans extra Claustra?

Multi multa dicunt. Theologus Franciscus de Ribera *in Oseam* Cap. 2. n. 101 — indicavit longi temporis usus « nullam esse certiorem, ac praesen-« tiorem Religionibus labem, quam *multitudinem.* « Ac addit — si quis putat in magna hominum « *multitudine mortificationem et humilitatem, et* « *pacem concordiamque animarum conservari posse* « diu; id putat, *quod neque in hunc diem usque* « *factum est, neque fiet.* Pauci, qui perfecti essent, « aut qui ex animo ad perfectionem properarent

« omni tempore inventi sunt, qui diu, nullo: — « quod enim pretiosum est, raro semper fuit ».

Contendunt alii excessivam Profugorum, Apostatarum, Ejectorumque multitudinem ex nimia facilitate profluere, qua ad *habitum, et ad Novitiatum* recipiuntur, quicumque se Religioni offerant. Inde Clem. VIII in suis Gener. *Decretis super admissione Novitiorum* — et Inn. XII *in decreto de Ejectis sub anno 1693*, ajunt. — « At quia nimia sine de- « lectu facilitas recipiendi quoscumque Religionis « ingressum petentes, et a Religione forsan alie- « nos duram satis tractu temporis necessitatem « parit eosdem e claustris ejiciendi ».

Alii demum autumant rem hujusmodi procedere, quia decreta Concilii Tridentini, atque Ordinum Regulae, et Constitutiones, ab Apostolica Sede, adprobatae, neque adamussim observantur.

Concilium Trident. sane *in sess. 25* de Regularib. C. 3. inquit. « In Monasteriis, et Domibus tam « virorum, quam mulierum, *is tantum numerus* « constituatur (Religiosorum) *ac imposterum con-* « *servetur*, qui vel ex reditibus propriis monaste- « riorum, vel consuetis eleemosynis *commode pos-* « *sit sustentari* ».

Quod quidem saluberrimum praeceptum ab Innocentio XIII. innovatum fuit in sua Const. *Apostolici ministerii* §. 14 — subinde confirmata, in forma specifica a Summo Pontifice Benedicto XIII. per aliam, cui initium. — *In supremo militantis Ecclesiae.*

Nos autem, experientia edocti, existimamus non

unam vel *alteram* causam *talem* proferre disertionem: sed omnes simul: et S. Congregatio, arrepta occasione, Superioribus Ordinis eas memorare non dubitavit; ac praesertim quoad *Novitiatus:* ita ut ipsi non in contemptum ponerent regulas, quae, ad uniuscujusque vocationem probandam, statutae reperiuntur; neque proclivi essent ad petendam dispensationem *partis* Novitiatus, usque ad *dimidietatem* anni *Canonici.* Quam dispensationem Sacra Congregatio concedere *ordinario*, negat, sed quandoque rationibus pressa aegre tribuit; observans tamen — Superiores, hac sollicitudine, bonum neque Ordinis neque Religiosi certe peragere.

Heic exurgit etiam alia quaestio inter Canonistas « utrum Superiores Instituti » postquam *annus* Novitiatus expleverit, possint adhuc in Novitiatu retinere Postulantem, qui non dederit religionis signa quaesita? Et nonnulli affirmativam tuentur sententiam. Sed in veritate non sunt - namque Concilium Trident. sess. XXV, de Regularibus Cap. 16 - *taxative* legem proponit « finito tempore Novitiatus, « quos habiles invenerint ad profitendum admittant, « *aut e* MONASTERIO EOS *ejiciant* ». Quae lex est *Generalis;* ac ideo universam Ecclesiam comprehendit - quomodo Superior *Instituti particularis,* hanc legem derogare poterit?

Recurrunt interesse habentes plerumque ad S. Congregationem ad hunc effectum: et hic S. ordo tum dispensat, cum Novitius satis virtutis et honestatis signa dederit: ac periculum non adsit aliis molestias afferre, et scandala facile communitati tribuere.

Neque ullam infert nostrae speciei difficultatem dispositio Pii Papae IX, in decreto - *Neminem latet 19 Martii 1857* - scilicet - Posse Superiorem Generalem, ac etiam Provincialem, ex justis et nationabilibus causis, professionem votorum *solemnium differre* usque *ad vigesimum quintum annum* - namque ibi, uti patet, agitur de PROFESSIONE SOLEMNI; et Professus *simplex* jam indubia dedit signa eius idoneitatis ad Religionem, honestatis, et bonitatis. Insuper quod voluit legislator, expressit.

Attamen ex hujusmodi ab Ordine disertionibus, nihil detractum censetur ingenti merito « ut ait « Benedictus XIV » Religiosorum coetuum, quibus veluti firmissimis munimentis Ecclesia fulcitur; nec insigni ceterorum Religiosorum virtuti, qui in Claustris pie sancteque vivunt: et quorum probatissimae vitae ratio catholicis quidem ad virtutem est stimulus, haereticis autem confusio.

Nunc ad singulas disquisitiones descendamus.

§. 2.us

De Ejectis et Ejiciendis.

Dantur in Religione et illi, qui aliquo habituali morbo praepediti, « quantumvis interrogati ante « Professionem, ipsum non denuntiant: *hi* uti jam « vidimus » sunt *deceptores;* atque a juris regulis, iniquum et peralienum est, ut deceptor ex propria fraude compendium utilitatemque percipiat. Ergo justitiae et aequitati maxime congruit, ut ipsi a Reli-

gione *ejiciantur:* tamen legis ordine servato — proposita coram auctoritate competenti, *nullitate Professionis;* deducentibus hinc inde rationibus defensionis, usque dum Iudex suam emittat sententiam.

Inveniuntur autem et ii in Claustris Religiosi male morati, et desperatae emendationis, qui ab Ordine sunt ejiciendi: et de quibus diffuse loquendum, sequentes quaestiones resolvendo.

1.° Quomodo Superiores gerere se debeant cum his antequam ad ejectionem deveniant.

2.° Quomodo contra eos praecedendum juxta praecepta Urbani Papae VIII.

3.° Quid dicendum de *Processu Summario* idest Camerali?

4.° Quinam sint effectus *Ejectionis.*

5.° Quomodo procedendum, ut Ejectus rehabilitari quandoque possit ad sacra ministeria obeunda; ad S. Missae Sacrificium peragendum? Quid si reversus ad bonam frugem Saecularizationem perpetuam petat? Quid si in Claustrum reverti desideret?

Ad primam. Superiores Ecclesiam in casu repraesentant: sed Ecclesia est mater pietatis, charitatis, et misericordiae: Ideoque cum pietate, charitate, et misericordia, neque detracta justitia, procedere debeant; ita ut nihil intentatum relinquant, ut lucretur animos fratrum suorum, qui fere in profundum malorum dilapsi sunt.

Igitur praecipuo debent illos monere; verbis et opere curare, ut ipsi a culpis committendis desistant, et in sinum religionis revertantur; minoribus poenis plectantur; et *tantum* ad ejectionem deve-

niendum, cum jam nullus sperandae correctionis locus remaneat. Ait enim Divus Thomas *quodlibet* q. 12 art. 36. « Non debet Religio infligere talem « poenam, quamdiu vult corrigi; quoniam sicut est « *excommunicatio* in Ecclesiam; ita est expulsio « a Religione: et ideo dicendum, quod nullus est « nisi propter *contumaciam* expellendus, sed est « sequestrandus in carcere vel alio modo ».

Ex quibus constat, talem Religiosum tunc tantum esse ab Ordine Ejiciendum, cum *incorregibilis* evadat; ne alios ad praevaricandum ducat juxta monitum *Honorii III* in decretali - *Ea quae de Statu Monachorum* - *ovem morbidam ejiciant ab ovili, ne inficiat sanas oves.*

Ad secundam. Urbanus VIII statuit. Ne imposterum ex Religionibus quisquam legitime professus ejici possit, nisi sit *vere incorregibilis:* decrevit neminem *incorregibilem* censendum esse, nisi *unius quoque anni spatio in jejunio et poenitentia in carceribus fuerit probatus.* Elapso anno si non resipuerit, sed animo indurato in sua pervicacia perseveraverit, ejici tandem possit. Sed ab ipsomet Generali de Consilio et assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis; ac nonnisi, instructo, secundum eorum stylum et constitutiones, *processu,* et plene probatis causis expulsionis: *processus* resultantia accusato contestari; eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones, sive per se, sive per alium ejusdem Instituti religiosum exhibere valeat: et si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Tribunal defensorem ex

officio constituere debebit. Post haec Iudices sententiam expulsionis aut dimissionis emittant, a qua condemnatus potest appellare.

Ad tertiam. Ast hodie supradicta methodus procedendi difficile servari potest: tunc ad S. Congregationem est recurrendum ad obtinendam dispensationem a *praescriptis solemnitatibus;* et facultatem procedendi cum *Processu summario*, seu *Camerali.*

S. Congregatio « perpensis iis quae de Religioso « N. solemniter professo in ordine B. asseruntur: « difficultatibus etiam temporum, quibus omnia et « singula, quae a Constitutionibus Apostolicis ex- « pulsioni *incorregibilium praemittenda* requirun- « tur, adamussim *nequeunt observari,* benigne tribuit « facultates necessarias et opportunas P. Generali, « ejusque definitorio, ut cognita per idoneos testes, « ac fide dignos, pravitate, et incorregibili pervicacia « praedicti Religiosi: atque audita per Religiosum « virum, etiam ex officio deputandum, Rei defen- « sione, *eum* ad formam SS. Canonum, solemni- « tatibus omissis, sanctionibus autem decret. s. m. « Urbani Papae VIII in suo robore manentibus « (excepto carcere) ab ordine ejicere valeant: latam « deinde expulsionis sententiam *Ordinario originis* « ipsius et eidem condemnato, illico notificent ».

A qua, ipse si velit, intra *decem dies*, a notifica tione, appellare potest ad S. Congregationem - *et appellatione perdurante sententiae effectus suspensi manent* - qui, prolato definitivo judicio, suum robur, vim, et executionem acquirunt.

Ad quartam. Effectus autem *Ejectionis* sunt - ut *Ejecti* quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque Ordinario loci jurisdictioni et obedientiae subsint: suspensi a divinis maneant: neque sacra ministeria obire, neque S. Missae Sacrificium agere possunt: sublata Ordinariis locorum facultate, dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi. Quinimo tamquam inhabiles ad Beneficia ecclesiastica assequenda sint procul arcendi.

Ad quintam. Si miserabilis ille ejectus verae resipiscientiae signa dederit, et ad bonam frugem reverti desiderat; absolutionem a censuris, et rehabilitationem ad Sacra obeunda peroptat - *invento* Episcopo benevolo Receptore, ab eo *commendatus* ad S. Congregationem recurrat « quae benigne « tribuit facultates necessarias et opportunas prae- « fato Ordinario, ut *dummodo Orator verae resipi-* « *scentiae signa dederit* " praemissis exercitiis spi- « ritualibus, saltem per decem dies „ praevia ab- « solutione ejusdem a censuris ecclesiasticis, et « dispensatione ab irregularitate, quomodocumque « contracta - *illum* ad S. obeunda ministeria, Mis- « samque celebrandam rehabilitare valeat ad *sex* « *menses*, TITULO EXPERIMENTI: quo tempore elapso « *iterum recurrat, ab ipso Episcopo iterum com-* « *mendatus:* interim dictus Orator S. Patrimonium « sibi constituere curet; et Episcopum, qui *perpetuo* « eum benevole excipiat in sua Dioecesi, inveniat ».

S. Congregatio, post *sex menses* « adimpletis ab oratore conditionibus, superius expressis », praevia

commendatione Ordinarii, solet ad *annum* prorogare rehabilitationem. Donec praefatus Religiosus de bonis moribus imbutus, de Episcopo benevolo receptore, et de S. Patrimonio praeditus, iterum recurrat; et ei concedatur. definitiva rehabilitatio; ac Saecularizatio in perpetuum.

Quod si vero reingressum in suum Ordinem petat, tunc, dummodo in expulso adsit spes evidens emendationis, ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii « cujus conscientiam in his concedendis Sacra « Congregatio serio oneravit » attentis informatione et voto P. Procurat. G.lis Ordinis « Superiori Instituti tribuitur facultas eum recipiendi ad tempus, « *titulo experimenti.* quin restituatur in vocem « activam et passivam; et salva praecedentia eorum « qui in Ordine continuo perseverarunt, disciplinam Regularem semper observantes ».

§. 3.us

De Fugetivis *et* Apostatis.

Ayrmanus Theologus in Comment. Historico-Iuridico de Monasterii Carcere Pag. 46. sic ait « Gravissimum quidem Monachorum delictum putatur « esse apostasia, et Apostatae in specie dicuntur, « qui, *post Professionem factam, Religionem deserunt*, CUM ANIMO NON REVERTENDI; FUGITIVI autem « habentur, qui *Monasterio ad tempus discedunt*, « NON ABJECTO PRORSUS REVERTENDI ANIMO ».

Quae tamen distinctio inter *Apostatas* et *Fugitivos* nihil refert ad effectum nostrae Thesis: namque quidquid *Ecclesia*, *Episcopi*, *Superiores*, et *S. Congregatio* DE PRIMIS intelligunt, et DE SECUNDIS intelligendum desiderant: et quidquid pro *unis* operantur, et statuunt, *pro aliis* operatum ac Statutum volunt.

Siquidem Apostasia idem est ac *defectio* — leg. *desertorem de re militari.* Deficere quis potest vel a *fide*, vel a statu clericali — vel demum a *Regulari Instituto, cui se devoverat.* De hac tantum nos sermonem habemus: et in qua dicendum peccasse tum *Apostatas* tum *Fugitivos;* quia sive *in primis*, sive *in secundis desertio* ab Instituto religioso, cui se devoverant, *aeque* verificatur.

Ergo et *utrique* in eodem modo in censuras incurrunt.

Pro hisce vero omnibus *antiquitus* poenalis carcer in Monasterio erat: sed hodie Ecclesia uti mater pietatis, non recusat eos amplecti, et ad bonam frugem indulgentia et misericordia reverti: praecipiens Superioribus Ordinis, ut profugos et Apostatas inquirant: in monasteria recipiant: omnia quae ipsis ad victum necessaria suppeditent, ut per canonicae poenitentiae remedia crimen expiare possint: et si fateantur culpam, et a Superioribus veniam et absolutionem humiliter petant, spondeantque melioris vitae propositum deinceps servare, ab omnibus poenis, quibus propter apostasiam, et fugam obnoxi facti, misericorditer liberentur.

Hujusmodi exemplis innixi Episcopi in *Apostatas*

et *Fugitivos* invigilare debent ad Mentem Urbani VIII, qui in decr. cit. n. 3 sic ait « *Fugitivi et Apostatae*
« sive habitum regularem deserant, sive non, pos-
« sint ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in
« carceres conjici, ac Superioribus Regularibus
« consignari secundum regularia instituta puniendi,
« atque ipsi superiores teneantur eos perquirere, ad
« Religionem reducere, atque efficere, ut apprehen-
« dantur; salva tamen in omnibus facultate Ordi-
« nariis locorum attributa, decreto Concilii Triden-
« tini *Cap. 3. Sess. 6. De Reform.* ».

Quapropter Episcopus est laudandus in suo Apostolico munere, *si Religiosos fugitivos et Apostatas*, ut redeant ad Religionem suadeat, benignitate, aequitate et moderatione utens.

Quid agendum si *Fugitivi* atque *Apostatae* — nulliter professos esse contendunt? ii nullo modo audiantur, nisi postquam ad *suum Monasterium* redierint - Concil. Trid. Sess. 25 de Regul. Cap. XIX - ac deinde *a propriis Superioribus commendati*, ad S. Sedem recurrant juxta praxim S. Congregationis, quae semper constans, et uniformis fuit.

Ex quibus generatim notatis, sequentes speciales exurgunt quaestiones.

1. An qui e claustris recedit, non praeobtenta superiorum facultate, *Apostata* et *Fugitivus* dici debeat, *cum is revera Religiosae vitae propositum non deseret*.

2. An insuper tamquam *Apostata* et *Fugitivus* traduci valeat, qui procul quidem e claustro vagatur, sed Regularem retinet habitum; vel si ipsum

exuit, *satis tamen apparet id non ea mente ab eo fieri, ut Religioni perpetuo valedicat?*

Sacra Congregatio Concilii Tridentini interpres sub Pontificatu Urbani VIII. ipso Pontifice expresse annuente, ann. 1624 inter cetera decreta hoc quoque inseruit « ut *fugitivi* et *Apostatae* sive *habitum* « *regularem deferant, sive non*, possint ac debeant « ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in *carceres* « conjici, ac Superioribus Regularibus consignari, « secundum Regularia Instituta puniendi ». Ergo

1. Pro Urbano VIII *in praxi* nulla datur distinctio inter *Apostatam* et *fugitivum.*

2. *Apostata* et *fugitivus* habetur, qui in Claustro non degit; quique ab eo, non praeobtenta a Superioribus venia abscessit, vagaturque.

3. Sive ipsa indumenta religiosa gestet, sive dimiserit.

4. Sive *redeundi* animum retineat, sive abjecerit.

Ed in hisce casibus debeat Episcopus eos in carcerem detrudere, ac superioribus tradere, ut puniantur.

Hinc solent plerumque quaerere *Generales*, et *Ordinarii a S. Congregatione* — Utrum in hoc casu possit Episcopus *ex se* punire *Apostatas* et *fugitivos,* quin eos *ad Superiores* remittat?

Hic distinguendum est — vel *Apostatae* et *Fugitivi* in aliqua dioecesi commorantes — praeter *Apostasiam* et *Fugam* ab Ordine *nullum patrant crimen:* et tunc Episcopis non aliud datum est, nisi eos in carcerem detrudere, ac Superioribus consignare, ut puniantur: vel *aliquod crimen agant,* et

tunc Ordinarii loci possunt *eos etiam visitare, corrigere et punire.*

Ait sane Tridentina Synodus in Cap. 3. Sess. VI. de Reformatione « Ecclesiarum Praelati ad corrigen- « dum subditorum excessus prudenter ac diligenter « intendant, et nemo *regularis* extra Monasterium « degens etiam *sui Ordinis privilegii praetestu tutus « censeatur, quo minus* SI DELIQUERIT *ab Ordinario « loci, tanquam super hoc a Sede Apostolica De- « legato secundum canonicas sanctiones* VISITARI, « CORRIGI ET PUNIRI VALENT ».

Quandoque autem evenire solet ut Episcopi, sive ratione temporis, sive alia legitima causa (quam heic significare necessario non existimamus) nequeunt eorum auctoritatem ad formam juris exercere; et tamen *Apostatae* ac *Fugitivi* vitam ducunt non in aedificationem Christifidelium, sed potius in destructionem fidei; et tunc quid agendum?

Id quod agunt plurimi Superiores Ordinis, qui S. Congregationem adeunt, et ab ea facultatibus necessariis et opportunis consecutis, contra *Apostatas* et *Fugitivos* juris ordine servato, quatenus fieri poterit, procedere conantur. *Sciunt* ENIM PRIMAE INSTANTIAE JUDICIUM AD ORDINEM PERTINERE.

Hinc *tribus monitis* inutiliter praemissis - FOLIUM *accusationis* Fugitivo vel Apostatae tradere faciunt: eumque ad sui justificationem coram Superioribus vocant.

In praedicto *Folio*, quatenus id prudentia minime prohibeat, describuntur per extensum, accusationis capita, ut Inquisitus ipsis respondere valeat. Quod

si non deceat culpas vel crimina aperte significare; tunc ipse vocatur, ut sistat coram Magistratu ad examen sustinendum.

Si obtemperare Accusatus recusat, ei peremptorium tempus praefigi oportet, quo inutiliter elapso, etiam *contumaciter* proceditur.

Sin vero adeat Tribunal, formaliter auditur, et facta contestatione culpae vel criminis, declaratur eum in sanctiones canonicas incurrisse.

Tunc ei tribuitur facultas suam tuendi innocentiam, rationesque deducendi sive per se, sive per defensorem electum: quod si id facere recusat, Iudex pro tribunali sedens, ex officio defensorem deputare debet; qui defensor tamen inter alios Religiosos, vir omni exceptione major, erit eligendus. Cui statim causae documenta sunt communicanda, ut vera cognitione suum exerceat officium: et si in scriptis rationes deducat, eas exhibere potest judicibus, etiam ante causae disquisitionem. Quae omnia Procuratori Fiscali eodem tempore proponuntur. Hinc, stata die, ab auctoritate competenti citatur quoque accusatus, ut disquisitioni adsistentiam praestet.

Ac praevio voto Fiscalis; deductionibusque defensivis diligenter consideratis, summa charitate et prudentia, quacumque humana affectione remota, Tribunal suum judicium emittat, cum expressa mentione sanctionum Canonicarum, quae in specie applicantur.

Sententia notificetur eidem *Accusato* ejusque Episcopo originis; a qua tamen Reus appellare potest: et appellationem prosequi juxta formam

Constitutionis *Ad militantis*. Bened. XIV, 30 Martii 1742. Decret. S. Congr. Episcop. et Regular. *18 dec. 1835* - et Litt. Circularis ejusdem S. Congregationis diei 1 Aug. 1851.

Hujusmodi Appellatio tamen fieri debet intra *decem dies* a die notificationis sententiae: quibus elapsis *inutiliter*, decisio ipsamet in rem transit judicatam.

Appellatione, tempore utili, interposita, primi Indices illico Processum ad Auctoritatem Superiorem, cui est appellatum; per integrum remittere tenentur: et *perdurante hoc judicio*, **PRIMAE SENTENTIAE NULLUS ERIT EFFECTUS**, donec definitiva resolutio prolata non fuerit.

Quae, tamen si primam confirmat sententiam, et infelix Religiosus poenis canonicis praepeditus, expulsione sit damnatus; tunc Superiores eum derelinquere non debent: sed titulo charitatis ejus vestigia prosequi curent; laboribus et studiis non parcant usquedum ad bonam frugem deperditam illam ovem non reducant; ad mentem S. Congregationis, quae semel et iterum hortationes, consilia, facultates, auctoritate Summi Pontificis huc illuc prodigare non renuit; ut denique ad Sanctum Christi ovile errans creatura revertatur.

Satis de fugitivis et Apostatis.

Nunc.

Caput Quartum

De transeuntibus ad aliam Religionem

§. 1.us

Transire ad aliam Religionem idem est ac deserere illud Institutum, cui Religiosus se devoverat, cujusque regulas servaturus se perpetuo juraverat; et novum amplecti.

Hinc disputatio quam pertractare nunc aggredimur, dum exhibetur prima fronte facili, et currenti calamo exhaurienda; nihilominus revera salebrosa prae ceteris, et complexa videtur.

Religiosi sane transire conantur vel ad *Ordinem strictioris observantiae:* aut *ejusdem* observantiae — vel ad Ordinem *Observantiae Laxioris* — vel denique ad Ordinem *ejusdem originis:* quamvis non identicum.

Cum vero unumquodque *Institutum* conditionibus variis ab altero, comitatur: hinc necessarium est, ut de tribus notatis speciebus, nos *singulatim* disputemus. Quod illico agimus, et libenter: aliquid deinde addentes de Confugientibus ad alias Regularium Religiones.

Ad primam.

§. 2.us

De Religiosis transeuntibus ad ordinem strictioris observantiae.

Statim animadverti existimamus — Religiosum *voluntarie* ad aliam Religionem transire, si libere, licite, et debite id fiet — *necessario* cum quis ob *incorregibilitatem* a suo Instituto ejiciatur: denique *Sacrilege,* cum e Monasterio fugit, et per apostasiam suam deserit congregationem.

Hinc queritur 1° An licitum sit Professo ab una religione ad aliam transire?

Generice loquendo *negativam* esse dandam responsionem. Ait enim D. Paulus in 1ª Corint. 7. v. 20 — *unusquisque in ea vocatione qua vocatus est, in ea permaneat.*

Sed quid dicendum si Religiosus vitam perfectiorem diligit; per consequens ad *strictiorem Religionem* transire desiderat? *Affirmative* reponitur: at responsio sumitur a Cap. licet h. t. et jam olim statutum erat in Conc. Triburiensi, quod refertur *Can: Virgines 1. Caus. 2. q: 4.*

Tamen hoc faciendum non leviter, neque temere, idest non ira vel odio, neque in contemptum obedientiae: sed tantum *ratione virtutis.* Statuit enim Clem. VIII. *in decr. de Regular. Apost. et Ejectis,* n. 2. — « ne ullus de cetero permittatur « *ad arctiorem religionem* transire, nisi Superiori

« constiterit, eam Religionem paratam esse illum « recipere, qui licentiam petit, tumque regularis « recte se transferat *ad arctiorem*, de qua re Su- « perior omni studio invigilet ».

Sed ad quamnam auctoritatem pertinet hujusmodi dare licentiam? Absque ulla dubitandi ratione — ad *Romanum Pontificem* spectare, esse respondendum.

Namque etsi per transitum ad *strictiorem Religionem* votum mutetur in majus bonum; est tamen *jus acquisitum priori religioni, quod immutetur:* super qua dispensatione, — *de tertii jure quaesito:* solius Pontificis auctoritas invocari oportet.

Et S. Congregatio tempore jam acto, ac *quotidie* « nomine Pontificis » precibus Religiosorum, commendatis a Superioribus utriusque Ordinis « be- « nigne annuit pro gratia petiti transitus: ea tamen « expressa lege, ut a Superioribus, ad quos per- « tinet; Religiosus Orator collocetur in loco pro « Novitiatu designato: ibique formalem probationem « repetat, et compleat; novamque votorum profes- « sionem emittat: quod si quavis causa id non « egerit, ad primaevum ordinem redire teneatur ». Et reapse, cum conditiones impositas non adimpleverint Religiosi ad primaevum ordinem reversi sunt.

Id tamen opportune cautum est, ad mentem Concilii Tridentini, qui hoc disponere non destitit, ne Religiosus, ex uno in alium Ordinem transeundo, vel profugus, vel Apostata evadat: jubens praeterea, ut transitus semper fieri debeat ad Ordinem in quo

vigeat Regularis claustralis observantia. Unde Bened. XIV *in Synodo Dioeces: XIII. Cap. XI. n. 4. animadvertit* — praeter decreta Congregationis Concilii an. 1624 ab Urb. VIII. approbata, quibus unicuique Regulari Superiori praecipitur, ne Religioso sibi subdito facultatem « servatis de jure servandis » faciat transeundi ad aliam Religionem, *licet strictiorem*, nisi ex indubiis sibi documentis certe constet alterius illius Superiorem promptum paratumque esse ad eum recipiendum, et nisi rem ita disposuerit, ut idem Religiosus a sua ad alteram Religionem recte pertranseat.

Hinc quaeritur 1° Utrum peracto transitu ad *strictiorem* Religionem, necessarium sit, juxta *praescriptionem* S. Congregationis, denuo Novitiatum peragere?

Utique oportet novam probationem formalem repetere, quia Religiosus, hoc in ordine neque regulas excepit; neque novae vitae rationem expertus est; quam ei difficiliorem se exhibet: insuper ipse relate ad hoc Institutum se praebet illis conditionibus comitatus, quas *omnes novi Postulantes* secum ferunt.

Quaeritur 2. An *Novitiatus* vel ejusdem pars dispensatur: et solet reapse dispensari?

Negative « ordinario » est respondendum: quia in hac specie difficilior, uti experientia docet, *perseverantia* Religiosi verificatur: quinimo contrarium continuo animadvertitur.

Quaeritur 3. utrum hodie sufficiat tantum nova *Professio solemnis,* ut plerumque in nonnullis ordinibus fieri solet, vel potius necessaria est *Professio sim-*

plex praemittenda ad normam Summi Pontificis Pii Papae IX?

Diximus jam, peracto transitu; *Religiosum* coram *novo Ordine* illis conditionibus inveniri, in quibus *omnes inveniuntur Postulantes;* quod si *isti* praemittere debeant *professionem simplicem*, Professioni *solemni*, cur et illi ad hoc *minime* tenentur? Videant id maturo consilio Superiores, et quaestionem solvant; quin deducant illud inutile motivum, quod novus Religiosus jam *emiserit professionem simplicem:* sed animadvertendum est, in quonam ordine eam emiserit?

Quaenam sint 4. obligationes Religiosi qui transitum ad aliam religionem peregit?

Sunt omnes illae, quae in nova Congregatione pro Regularibus et Communitate inveniuntur constitutae. Sed plerumque disputatur — an ipse, si aetati provectus, praecedentiam prae ceteris habeat? Minime quidem: et in Coetu Religiosorum, ad quem pertinet, ultimum tenere debeat locum, quia ultimus Claustrum est ingressus.

Verificatur hoc in transfiliationibus? *Negative:* quia transfiliatus, jam in ordine extat: in quo lucratus est suos gradus, quos servare videtur, quamvis de uno in alium Conventum; de una in aliam Provinciam *accidentaliter* traslatus fuerit.

Quid 5.° dicendum est « relate ad *Transeuntem* ad aliam Religionem » de *juribus quaesitis* alteri *Conventui vel Provinciae?*

Solent doctores distinguere inter bona, quae ante transitum tali Religioso delata sunt: et inter ea,

quae eidem deferuntur post transitum: ac ajunt — bona *prioris generis* manere penes Monasterium, vel Religionem, a qua transit: nam huic, per Professionem inibi editam, quaesita sunt absolute, et sine transitus futuri conditione — *Can. quia ingredientibus 7. Caus. 19. quaest. 3. — et auth. ingressi Cod. de SS. Eccles.*

Bona vero *generis posterioris,* si haec obveniant eidem, post professionem editam in religione, ad quam transit, spectant ad Monasterium, vel ad Religiosi novam Provinciam.

Sed hujusmodi quaestio pertinet potius ad internam Ordinum administrationem, quam ad jura extrinsecus considerata: hinc *(nisi Congregatio* sit a partibus ad judicandum adita, et pro Tribunali) respondere consuescit — ut Superiores utriusque ordinis de intelligentia, et consensu adsistentium Generalium, rem inter se componant.

Quid agendum si Regularis transire desiderat ad Religionem *aeque strictam?*

Tunc est in specie applicanda doctrina, et praxis usque adhuc relata pro transitu ad Institutum *strictionis observantiae*, quae iterum heic inutiliter in medium proferentur.

Sed potius descendamus ad secundam ex propositis disputationibus.

§. 3.us

De Transeuntibus ad Religionem Laxionis observantiae.

Primum est notandum, quod per se loquendo, jure communi, nemini permissum est a *Religione Strictiori,* quam professus est Regularis, ad *laxiorem transire,* ut constat ex Cap. *Sane* 10. h. t. quia sola ratio vitae perfectioris, hoc concedere potest; et in casu proposito ratio non adest.

Quandoque tamen, sed raro, concedi solet: et S. Congregatio tunc indulgere non renuit, cum allegatur causa justa *infirmitatis, debilitatis,* et *necessitatis parentum,* quibus Orator consulere in strictiore Religione nequeat — *Sanchez libr. 6. Moral. Cap. 7. n. 65. — Lessius libr. 2. de Iustitia Cap. 41. n. 104.* Krimer, hic. n. 2792.

Ast semel et iterum hujusmodi transitus concedi solet, ex quadam indulgentia, et misericordia, ne Religiosus, defectu vocationis, melius quam in Saeculum revertatur, in laxiorem Religionem in« gressum faciat ».

In his omnibus consideratis speciebus, tamen necessaria est semper licentia Summi Pontificis, per S. Congregationem consequenda: et orator « in « *novo Instituto* Novitiatum denuo *repetat* et *com*« *pleat:* novamque professionem sive *simplicem* sive « *solemnem* emittat »: servans omnia et singula

hujus Religionis onera; ejusdem Superioribus obsequium, et reverentiam exhibeat: jura alteri quaesita, tam circa praecedentiam, quam circa alias dignitates, gratias, honores, et privilegia laedere minime praesumat. In ceteris vero, *prout jam explicavimus*, adamussim se gerat « praesertim quoad bona etiam immobilia, de *intelligentia* et *consensu* Superiorum utriusque Ordinis, *disponenda.*

Ad Tertiam.

§. 4.us

De Transeuntibus ad Religionem ejusdem Originis.

Ut omnes sciunt dantur et Ordines, qui *Origine unica*, tractu temporis in plures ramos vel palmites sunt dispertiti. ex. gr. Benedectini, et Benedectini P. O. — Cistercienses et Cistercienses Reformati — Eremit Camald. Aetruriae, ac Erem. Montis Coronae et alii hujus generis.

Nunc quaeritur, quid si Religiosus Benedectinus, Cisterciensis, Eremit. Aetruriae transire velit ad Benedectinos P. O., ad Cisterciens Reform., ad Eremit. Montis Coronae; quanam licentia indiget?

Adire etiam debet Summum Pontificem, eique offerre preces ab utroque Superiore a *quo et ad quem* commendatas, et facultatem transitus implorare: quam S. Congregatio concedit « ea expressa lege, « ut Superior novae domus — praemissis ab ora-

« tore spiritualibus exercitiis saltem per triginta « dies — eum inter suos religiosos cooptet, *facta « ab eodem declaratione* se velle libenter amplecti « onera, jura, et dispositiones, quae in nova Reli- « gione existunt; Superioribus obsequium, et reve- « rentiam, ut alii, humiliter praestare — ceterasque « conditiones a Capitulo propositas excipere etc. ».

Ipse enim neque *novam probationem* peragere, neque *professionem*, sive *simplicem.* sive solemnem emittere iterum debet « quia haec omnia jam in *ordine ejusdem originis peregit* ».

Sed quid dicendum de Bonis primaevo Conventui, vel Provinciae quaesitis: inter Superiores res est pertractanda, ut in aliis jam superius relatis.

Quibus omnibus consideratis, nunc generatim quaeritur — utrum dentur Religiosi, quibus interdictum est etiam *licite* transire ad alias Religiones?

Utique dantur et sunt transeuntes a *Religione* aliqua *Mendicantium*, ad aliam *non Mendicantium.* Clem. 1.us sane eos reddit inhabiles ad proprietates, administrationes, et officia quaecumque; ac praesertim ad curam animarum exercendam; et ad Beneficia saecularia nuncupanda: — de sic *vero translatis*, Concilium Trident. *Sess. 14. cap. 11. de Reform.* Statuit « *ut in Claustro ordinis, ad quem,* « *translati sunt sub obedientia Superioris sui per-* « *petuo maneant.*

Sed hoc; nisi transeant ad *Carthusianos*, et *Trappenses* aliosque hujus generis; quod in praxi tenetur.

Quid denique dicendum.

§. 5.us

De Religiosis confugientibus ad Regulares alterius Religionis?

Iam in Cap. 3. §. 2. et 3. locuti sumus de *Ejectis, Fugitivis* et *Apostatis;* de eorum conditione quoad ordines, quibus se devoverant; de eorum statu relate ad Ecclesiam, Episcopos, et S. Congregationem; de eorum praesentia coram magistratibus, processu, et damnatione; de eorum sententia, quomodo, et quibus notificanda; de sententiae appellatione, ejusdem effectibus; nunc videndum est « *quid agendum si ipsimet ad alias Regularium Religiones confugiant* ».

Et illico notamus, omnes Regulares sive *Ejectos,* sive *Fugitivos,* sive *Apostatas* a susceptorum *Ordinum exercitio esse suspensos;* et tamquam inhabiles, ab Ecclesiasticis muneribus obeundis, ac Beneficiis assequendis procul arcendos.

Notamus 2° Concilium Tridentinum oportune cavere non destitit « ne Religiosus ex uno in alium « Ordinem transferendo, vel profugus vel Apostata « evadat » decernens, ut transitus semper fieri deberet ad Ordinem, in quo vigeat regularis Claustralis observantia.

Notamus 3° quod transitus hujusmodi intelligi nequit nisi *competenti licentia peractus;* et servatis omnibus et singulis de jure servandis, ut *vagandi occasio Religiosis omnibus* auferatur.

Quibus notatis, planum est, *Religiosos sive adhuc in Claustris;* sive *Ejectos*, aut *Fugitivos,* etiam *Apostatas non posse* EX SE ad alias Regularium Religiones *confugere:* secus enim debere Praelatos cujuscumque Religionis *omnes* et *singulos* praefatos Religiosos compellere *ad redeundum,* ne vagandi occasionem habentes, propriae salutis detrimentum incurrant, ut dicitur in Capit. fin. h. t. — Ratio est, quia Religiosus causa *voti obedientiae* personaliter obligatus est Praelato suo regulari. Hinc Clem. XIII. die *11 aug. 1758* loquens de CONFUGIENTIBUS *ad alias Regularium Religiones*, sequentia edixit, decrevit — statuit — « Regulares unius Religionis *con-* « *fugientes* ad Ecclesias, et Monasterium alterius « Religionis restitui deberi Superioribus propriae « Religionis a Praelatis alterius Religionis, ad quo- « rum Ecclesias et Monasteria confugiunt, prae- « stito tamen ab iisdem Superioribus Confugen- « tium juramento, et facta obligatione de servanda « immunitate ecclesiastica, et de restituendo Con- « fugientes praefatos Ecclesiis, vel monasteriis, ad « quae confugiunt, casu quo procedendum sit ad « poenas corporales carceris perpetui, et triremum « propter delicta ab ipsis confugientibus commissa: « secus si ipsi Superiores procedere deberent ad « poenas ordinarias, et ad correctionem Regula- « rium per Constitutiones Ordinis praescriptas, cujus « rei declaratio ad definitorium Provinciale, vel ubi « illud non fuerit, ad Consilium Conventus spec- « tabit. Quod si constito Regulares confugientes « poenas dumtaxat ordinarias, et per Constitutiones

« Ordinis ad correctionem praescriptas promereri,
« Praelati alterius Religionis renuant, eos propriis
« Superioribus restituere, vel ipsi Regulares ad pro-
« prias Religiosas domos redire recusent, utrosque
« ad instar Apostatum vel Apostatas recipientium
« in excommunicationem Summo Pontifici reser-
« vatam incursos declaravit ».

Invigilent igitur utrique Superiores; inquirant *Confugientes;* cum his agant ad tramites juris; tamen misericordia, et humanitate; ita ut ipsi indulgentia moti, facilius ab incoepto resipiscant: ad debitam reverentiam et obsequium redeant; ad disciplinae observantiam revertantur, exemplum docilitatis Fratribus exhibentes, in bonum religionis, Ecclesiae, et Societatis — Faxit Dominus.

Et haec sufficiant, ut meo proposito factum sit satis. *Praxim* Congregationis compendiose redegi; ejusque *Effata* (*Massime*) generatim notavi. Si quid bonum in his omnibus inveniatur, sit *Deo honor ét gloria*: sin minus rectum, judicio Ecclesiae, et Romani Pontificis, mihi ex calamo exciderit, in genua humiliter provolutus, ore et corde *cupio emendare quod feci.*

DEIPARAE IMMACULATAE SIT LAUS.

FINIS.

PROŒMIUM.

INDEX.

CONSTITUTIONUM APOSTOLICARUM.

Index.

LIBR. CAP. PARAGR.

LIBER PRIMUS

DE NOVITIIS

Caput Primum

De Novitiatu

CAPUT TERTIUM

§. 4.us

§. 5.us

§. 6.us

LIBER SECUNDUS

DE PROFESSIS

CAPUT PRIMUM

De Professione

§. 1.us

§. 2.us

§. 3.us

CAPUT SECUNDUM

De Voto Obedientiae

§. 1.us

CAPUT TERTIUM

De Voto Paupertatis

---

§. 4.us

§. 5.us

§. 6.us

§. 7.us

§. 8.us

CAPUT QUARTUM

De Voto Castitatis

LIBER TERTIUS

De Saecularizatis - Ejectis - Fugitivis - Apostatis - et Transeuntibus ad aliam Religionem.

CAPUT PRIMUM

De Saecularizatione

Caput Secundum

De Corollariis, quae respiciunt perpetuo Saecularizatos

CAPUT TERTIUM

De Ejectis, et Ejiciendis - Fugitivis, et Apostatis.

CAPUT QUARTUM

FINIS.

INDEX GENERALIS

RERUM ET VERBORUM

Num: Rom:* indicat *Librum

Arabici

***Primus* Capit. — *Secundus* Paragr. — *Tertius* Pag.**

A

B

C

D

E

F

G

I

J

L

M

N

O

P

Q

R

S

T

V

FINIS.

IMPRIMATUR

Fr. ALBERTUS LEPIDI *O. P.*

S. P. Ap. MAGISTER.